6
20
34

6
17 N
16

Digitized by Google

Digitized by Google

Aſſiſtentiæ Germaniæ S. J.



Ad Solem Virtute Patrum volat Auſtrius Ales,
Heſperiæ Solium, Zodiacúmque petens:
Herculeis poſtquam eſt translatus in Aſtra Lacertis,
Regnórum, è Stellis nexa, Corona venit.
Inſuper à CITHARAE IESU sic Sole refulget,
Sol sitùt in CAROLUM aut Solis imago migret,
Zodiaci Libram, jam faustè ingreſſus, Olympi
Subdita Teutonici Cynthius Aſtra regit. Anagram.

AQVILA AVSTRIACA AD SOLEM: A SOLE AD SOLIVM, CORONASQVE HESPERIÆ *Provolans* VIRTUTE PATRUM: IPSA DEIN SOL IN AQVILA, ET CORONA IMPERII: ab HESPERIA orIens GERMANIÆ, renasCens PATRIÆ FORTITVDINE, ET CONSTANTIA.

PRAGÆ, typis Univerſ: Carolo-Ferdinandeæ, in Collegio Soc: JESU ad S. Clementem, per Joachimum Joannem Kamenicky Factorem, Annô 1712.

BIBL. DOM. PROF. ... IHS

Digitized by Google

SIVE

CAROLUS
ARCHI-DUX
AUSTRIÆ,
R E X
HISPANIÆ,
IMPERATOR
ROMANORUM.

Digitized by Google

POST

GLORIOSUM

AB

HESPERIA

REDITUM,

AUSPICATISSIMAM

IN

IMPERATOREM

ROMANORUM

INAUGURATIONEM,

OPTATISSIMUM

HÆREDITARIORUM

REGNORUM,

ET

PROVINCIARUM

ADITUM:

Digitized by Google

In
Fauſtam Gratulationem,
Subjectiſſimæ devotionis,
Reverentiſſimi obſeqvii
Teſſeram
Conſecrata

AU-

Digitized by Google

AUGUSTISSIMO,
POTENTISSIMO,
ET
INVICTISSIMO
MONARCHÆ
CAROLO VI.
D. G.
ROMANORUM
IMPERATORI
SEMPER AUGUSTO,
PIO, FORTI, FELICI,
PATRI PATRIÆ,
Germaniæ, Caſtiliæ, Aragoniæ, Legionis, utriuſq; Siciliæ, Neapolis, Hieroſolymæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galleciæ, Majoricæ, Minoricæ, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltar, Inſularum Canariarum, & Indicarum, ac Terræ Firmæ, nec non Magni Oceani
R E G I,

ARCHI-DUCI
Auſtriæ,
DUCI
Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Limburgi, Lucenburgi, Geldriæ, Wirttenbergæ, utriuſque Sileſiæ, Calabriæ, Athenarum, & Neopatriæ,

PRINCIPI
Sveviæ, Cataloniæ, & Aſturiæ,

S. R. I. MARCHIONI
Burgoviæ, Moraviæ, Superioris, & Inferioris Luſatiæ, Comiti Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretæ, Kiburgi, Goritiæ, Arteſiæ,

LANDGRAVIO
Alſatiæ, Marchioni Oriſtani, Comiti Goziani, Namurci, Ruſcinonis, & Ceretaniæ,

DOMINO
Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Naonis, Biſcaiæ, Molinarum, Tripolis, Salinarum, ac Mechliniæ,

Domino Domino Clementiſsimo:

CA-

CAROLO VI.
Vita, Victoria, Felicitas!

DUm SACRATISSIMÆ MAJESTATI VESTRÆ, ab Heſperia, ad capeſſendas Romano-Germanici Imperii, & Hæreditarias Regnorum Suorum Coronas optatiſſimè revertenti, communis Provinciarum lætitia it applauſum: Provinciæ Bohemæ Societatis minimæ, Gratulationem meditanti, non aliud GLORIÆ TUÆ Tholo appendendum pretioſius occurrit Anathêma, quàm *Symbolica* ANIMI AUSTRIACI *Imago*, ex Archetypo MAJORUM TUORUM in TE ad vivum effigiata ab AUGUSTISSIMO GENITORE TUO LEOPOLDO:

Ut

Ut in TE exactiſſimo Ectypo Tantum & viveret Prototypon, &, in Quo Unico Omniũ omnino AUSTRIACORUM ſeu CÆSARUM, ſeu REGUM, ſeu ARCHI-DUCUM adunanda eſſent Diademata: in TE Uno Omnium VIRTUTES non tantùm toties *coronarentur*, nec cum *Gloria*, & *Felicitate* tantùm perennarent, ſed inſuper à CAROLO VI. *Plùs ultrà* in POSTERIS caperent Incrementum. *Imago Hæc* longè ſuperat Cleopatræ Margaritarum pretium: quia Tota Unus eſt *mille Auſtriacarum Elegantiarum Unio*; *Munus* eſt Ingens: Sed IPSA VESTRA MAJESTAS à DIVIS TUIS, de Cælo, Provinciis, Regnis, Imperio, Evropæ, Orbi exorata; Ergò TE TIBI gratulamur POTENTISSIME MONARCHA! Etiam, in SACRATISSIMA *Hac Imagine*

gine CÆSARIS, TE, & Auguſtiſſimæ DOMUS TUÆ refulgentia in ſe CLEMENTISSIMI Animi Beneficia, tenui debitæ gratulationis obſequiô, ante Solium procidua demiſſiſſimè veneratur, quæ pro CÆSAREÆ, REGIÆQUE MAJESTATIS VESTRÆ incolumitate, longævitate, Felicitate, ac Gloria, nunquam Divinum Numen orare ceſſabit

AUGUSTISSIMÆ MAJESTATI VESTRÆ

Æternùm devota
Provincia Bohemiæ
Societatis JESU.

)o(

Magni Jovis Ales fertur in altum.

Manilius L. 1.

PARS

PARS I.
SERENISSIMUS
CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA:
VIRTUTE PATRUM.

PERIOCHA
Partis Primæ
CABALISTICA.

Aonias peregrè ſuper æthera provehe pennas,
191. 242. 435. 200. 408. 236.
Summa 1712.

Pieriam ad cœlum provehe, Muſa, chelyn.
194. 5. 308. 408. 321. 476.
Summa 1712.

Pegaſeum hinc AQVILÆ ſectâre ad Sydera callem,
398. 60. 306. 284. 5. 580. 79.
Summa 1712.

Ad *Phœbum* ſemper *provolat* Illa ſuum.
5. 306. 270. 561. 59. 520.
Summa 1712.

Affectu placidô nunc gaudet SOLE TRIUNO,
321. 147. 283. 317. 165. 479.
Summa 1712.

Romanam PATRUM monſtret ut Ipſa *fidem*.
232. 471. 495. 300. 160. 54.
Summa 1712.

Sideream SOLIS lucem CRUCIS obtegit umbra?
224. 259. 258. 385. 273. 313.
Summa 1712.

Iſtìc SPE plenam SOL CRUCIFIXUS alit.
211. 255. 156. 160. 900. 130.
Summa 1712.

Sub *Niveo* coràm lateat *Velamine* PHOEBUS:
292. 304. 164. 227. 310. 415.
Summa 1712.

Ignifluô ad CORPUS nutrit *amore* fibras.
341. 5. 483. 529. 166. 188.
Summa 1712.

Flagrando

Digitized by Google

Flagrando, SOLEM jam in VIRGINE captat; ut Ejus
209. 195. 40. 49. 350. 265. 300. 304.
Summa 1712.

Augeat *Habsburgum* fertile SPICA Solum.
314. 620. 225. 163. 390.
Summa 1712.

Lethifera hæreſeos ſi obvelant nubila *Phœbum*,
234. 334. 99. 418. 272. 355.
Summa 1712.

Terrifica hæc ZELI fulmine perdit AVIS.
293. 17. 534. 310. 258. 300.
Summa 1712.

Æſtiferum accendat *Phœbus* ſi quando LEONEM:
526. 157. 415. 99. 365. 150.
Summa 1712.

Spartanis pariter *viribus* ALES adeſt.
471. 335. 590. 116. 200.
Summa 1712.

Zodiaci in MEDIO placidè ſi quando refulget,
576. 49. 98. 102. 99. 365. 423.
Summa 1712.

Temperiem ubertim Sol docet HANC VOLUCREM:
324. 426. 160. 162. 52. 588.
Summa 1712.

Altiùs in *medio* ſi *Phœbus* ſplendeat *axe*,
420. 49. 98. 99. 415. 325. 306.
Summa 1712.

Prudentem ſe tunc exhibet hìc AQVILA.
524. 95. 343. 429. 20. 301.
Summa 1712.

Sacratô CÆLI dum illuſtrat lumine *Libram*,
325. 87. 234. 620. 304. 142.
Summa 1712.

Æmula *Juſtitiæ* hìc thema VOLUCRIS habet.
257. 523. 20. 144. 652. 116.
Summa 1712.

Paſſim *Majeſtas*, & *Gratia* ſplendet *in ortu*
280. 326. 105. 198. 324. 49. 430.
Summa 1712.

PHOEBI: magnanimè hanc prenſat utramq; AQVILA.
134. 163. 52. 376. 686. 361.
Summa 1712.

Aureus occiduas Titan declinet ad undas,
576. 360. 250. 186. 5. 335.
Summa 1712.

Hìc equidem CONSTANS Stirps AQVILINA manet.
20. 323. 414. 429. 350. 176.
Summa 1712.

Ergóne hæc AQVILÆ ad rutilos eſt ſemita cælos ?
187. 17. 306. 5. 549. 195. 235. 218.
Summa 1712.

Hoccine luctantem ad Sidera ducit iter ?
118. 499. 5. 580. 316. 194.
Summa 1712.

Num nova , dic Salomon, AQVILÆ *via* cognita *celo?*
270. 291. 16. 281. 306. 210. 210. 128.
Summa 1712.

Quam tamen effecit CAROLUS ARTE PATRUM.
301. 176. 134. 444. 186. 471.
Summa 1712.

Valor Literarum.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 20. 30.
N. O. P. Q. R. S. T. V.
40. 50. 60. 70. 80. 90. 100. 200.
X. Y. Z.
300. 400. 500.

PARS I.

PARS I.

SERENISSIMUS CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA.

NUMERUS I.

Symbolum I. Carolinum:
AQVILA
Ad Solem provolans.

Lemma Supernè: VIRTUTE PATRUM.
Infernè: DIgna eXeMpLa CoLIs.

EXPOSITIO.

Ut Regale genus *Soboles* Aqvilina notetur,
Lux probat, ad Solem quando vocata volat;
Huc Exempla *Patris*, vis huc magnetica ſtirpem
Incitat: hôc volucrum ſe probat eſſe Ducem.
Qui *Virtute Patrum* propè ſidera, *CAROLE*, tangis,
Virtutis Patrum Túte Synopſin agis;
O! utinam, ô Superi! velut Ipſe probatus ad alta es,
Sol citò conſpiciat, quos Pater Ipſe probes.

Elogium I.
Auguſtiſſima Domus Auſtriaca
Sedes Imperialium Aqvilarum.

Huc Ætiten Aqvilæ!
Aqvilinum oportet conceptum maturari,
Ut provolet Auſtriacus;
Qui Aqvilæ partum facilitet,
Lydium Auſtriæ lapidem Ætites agat:
Ubi meri naſcuntur Joves, & Jovis Alites.
Deficies Palladia Atticarum noctium volucris,
Si proſequi attentes inter *tria difficilia:*
Viam Aqvilæ in cœlo; Prov. 3.
Cleantheam tamen tibi verſanti lampadem
Ales Soli domeſtica connivebit,
Ut tantæ luci accedas umbra,
Non ut obſcures, ſed pediſequa.
In Solis æmula Domo Auſtriaca
A ſæculis nidum poſuêre Imperij Aqvilæ;
Sic Vos non Vobis nidificatis:
Orbem protegitis alis, clangore impletis;
Pergite felices Tonantium Armigeræ!
Romana *RUDOLPHI I.* Signa ſeqvimini:
Aqvilarum Hic agmina ducit.
Ab Eo Aqvilinum, in Sole probatum eſt,
Quidquid Habsburgicum.
Si idem denotat:
Clavam Herculi, Fulmen Jovi extorqvere;
Fulmen Hæc Aqvila deferebat, & frondem Pacis,
Cuiqve ſuum,
Dum *Clavam* in Symbolo præferebat, & *Oleam*
Cum Lemmate: *Utrum lubet.*
Fortes creantur Fortibus:
Germanus Hujus Aqvilæ Pullus *ALBERTUS I.*
Fortis, & *Triumphator*,

Nu-

Numerô præſtantior omni,
Paternam clavam multiplici haſtæ objecit:
Fugam Victoria neſcit. *Symb: Alberti I.*
Ab eadem ſpecie *FRIDERICUS PULCHER*
Aqvilinô placuit obtutu:
Quem defixit in Herculem, an cum Joſue in Solem?
Hercules Mythologis Solem deſignat;
Certè Aqvila in Pedibus Herculis:
Adhuc ſtat! *Symb: Frider. III.*
Tres Iſtæ primùm ab Auſtro Romanæ provolavêre Aqvilæ,
Ut *Trinum perfectum, Tria Omnia* præſignarent.
Subinde ſæculum parturijt Imperio
ALBERTUM II. Honorificum.
Tantæ molis erat!
Ut etiam à * *Miraculo mundi* gigneretur;
**Sic dictus Albert: IV. Archi-Dux, Pater Alberti V. Archi-D. hôc nomine II. Imperatoris.*
Quid moramini ſæcula?
Tolle * *moras*! Honorifica hæc ingeminat Aqvila,
** Symb: Albert: II. Imp:*
Volatu ceſſura *nemini*:
Sed penſatur pauſa clangoris perpetuitate: (rit,
Una exinde Domus Habsburgica Imperio Aquilas ſugge-
Scutúmque Auſtriacum, tot Laudum Campus,
Pectori conſtanter inhæret Bicipitis Alitum Jani:
Adeò Ipſi cordi eſt, hôc Clypeô protegi.
Imò FRIDERICI IV. *bis Pacifici*
Auſtriacô auguriô, Aqvilinô auſpiciô,
Vocali ſanè: * A. E. I. O. U. **Symb: Frid: VI.*
Interprete, non Ægypti Pro-Rege,
Sed Joſepho Hungariæ Rege,
In Coronatione ſparſo inſcribente auro:
Auſtria Extendetur In Orbem Univerſum.
Nec imbellem progenerant Aqvilæ columbam: *Horat.*
Provolat *MAXIMILIANUS I.*
Fulmina inter, & tonitrua, cum Aqvilis impavidus:
PER TELA, PER HOSTES.

Pergit ad Pomum Imperij, non pavidâ Fortunæ rotâ,
(*FORTUNA FORTES METUIT*)
Sed armatâ, Sibi præfixâ, Virtutis orbitâ:
PER TOT DISCRIMINA. *Symb: Max: I.*
Et quò?
Qui Artium numerô Planetas æqvavit,
Quidnî & Solem attingeret?
Ex Nepotis Auguſti Oraculo:
Quod in Cœlo Sol, hoc in terra Cæſar eſt.
Carol: V. Inſcr: Moneta.
Quanta Aqvila CAROLUS V. *Sexti prodroma,*
Et præludium!
Columnis Herculis inſidet,
Major Hercule;
PLUS ULTRA! *Symb: Caroli V.*
Major Seipsô,
Major Imperiô,
Quod accipere *meruit* cum alijs, dare præ alijs potuit;
Quanta Aqvila!
Geminis protegens alis Ortum, & Occaſum,
Geminô tangens vertice ſumma, et ima;
Orbem vel Nomine pro Jove implevit:
Jovis omnia plena;
Nomine Cæſareô plenus uterqve polus.
Fraternam animo effigiem
FERDINANDUS I.
Impreſſit, & expreſſit:
Super Sphæram mundi volitabat,
Non ſinè vexillis:
Conſvevêre Aqvilæ vel in Signis ferri, vel Signa ferre;
Vexilla hìc *Regis prodeunt,*
Sol Juſtitiæ ſpectatur,
Lemma indicat: *Chriſtô Duce.* *Symb. Ferd: II:*
An non Aqvila MAXIMILIANUS II. Omnilingvis?
Ex roſtris agnoſce, & ungviculis.
Mundo inſiſtit, & roſtrô faſciam ſolvit,

Fon-

Fontſque Lucis immergitur: *Dominus providebit.*
In Lunæ conſurgens cornua: *Symb: Maximil: II.*
Comminuam, clangit, *vel extingvam.*
RUDOLPHI II. Aqvilina acies prodit ſeipſam,
Votivô ſuô ad luminum Patrem:
ADSIT! *Symb: Rud: II.*
Adjutorium Domini Sit Inimicis Timor!
Inſcript. Nummi Rudolphi.
Sors MATTHIÆ Auguſtiſſimi
Hôc digna Acroamate:
Leo ſis Corpore, Mente Aqvila.
Norimbergæ in Porta Triumph.
Dum Soli clangit Increato:
Ad Te levavi oculos; *Pſal: 122.*
Reſonuit Imperij
Firmatum cœlitus Omen. *Symb: Matthiæ.*
Aqvila volucribus alijs prædam munificè diſpertitur:
Non ſibi provida Soli.
Quaſi dicat: *Hoc habeo, quodcunqve dedi.*
FERDINANDUS II. Se dedit, & ſua:
Legitimè certantibus. *Symb. Ferd. II.*
Cui Soligenæ Aliti, nè vivæ lucis radius deeſſet,
Hoſtes etiam *Sanctum* proclamârunt.
Aqvila in alto ſerpentem diſcerpit, nè ſerpat trophæum;
Solis ipſius, Apollinſve pæana merita:
Quam in reluctantes Dracones
Egit amor Dapis, atque pugnæ. *Horat. lib. 4. Carm: Od. 4.*
Sic FERDINANDUS II.
Poſt purpuratam In albo monte pugnam:
Domitô emicat hoſte.
Fulgetra licèt obtenderis, & Nubila,
Penetravit Aqvilinus, & plauſit animus:
Virtus negatâ tentat iter viâ. *Sil: Ital. lib. 4.*
Obſtupeſce velocitatem FERDINANDI III.
Primô bellorum ſuorum impetu,
Infra dies L. totidem Urbes occupavit:

 Uni-

Unius campi pugnâ ad Nördlingam
Multarum Provinciarum Victorias reportavit:
Pietate & Juſtitiâ. Symb: Ferd: III.

Quid de ſublimiore volatu *LEOPOLDI MAGNI?*
Pullos aliàs Aqvilæ probant:
Nunc qualis, quantáque Iſta, Pulli probant.
Aqvila inter cervi cornua ut Cornu Copiæ erigat,
Prædam oculata exoculat:
Aciem viſûs armat in aciem,
Pennis pulverem excutit, quaſi pyriô metum incutiat:
Excute & pennam, concede lumen in epinicion;
Inſcribemus:
Conſilium pro Viribus, Induſtria pro Palma.
Quoties Leopoldina Volucris *Magnarum Alarum*
Hoſtiles Exercituum Alas concuſſit,
Conſiliô, & Induſtriâ?
Hôc unô ab alijs diſcrepabat:
Quòd Aqvilarum aliæ unô, hæc *Duplô Sole* gauderet.
JOSEPHINA
Præferebat roſtrô Ferrum, at Oleâ incinctum:
Amore:
Parcere Subjectis;
Fulmen in ungvibus, ſed attemperatum:
Timore:
Debellare Superbos.
Hæc CAROLINÆ Aqvilæ in auſpicium.
Antiqvetur Romuli Auſpicium, *duodena Vulturum;*
Glorioſior hìc *Duodena* præcedit,
Sibíque continuò ſuccedit *Aqvilarum:*
Ut *bis ſexta LEOPOLDI* Magni Soboli
Bis ſextô auſpicandi Regiminis applaudat Annô,
Et *bis ſextili.*
Aſſurges ter ſecunda, CAROLE, Aqvila!
Tuis, Tuorúmque pennis,
Ultra Tuos in Te!

Qui

Qui dum *Virtutem Patrum* Tuam feciſti,
Habens, quod omnes; habes, quod alius Nemo.
Præeunt illi Virtute, qvia Tempore;
Seqvendo Tu omnes, præis omnibus:
Factus tantum Tantorum Compendium;
Ità prævolare eſt Aqvilinum.

Ode I.

Omnigenarum Aqvilarum Volatus

Ad Campos Auſtriacos.

Colluctâre Aqvilis, non Aqvilonibus,
Lenis Terpſichores penna! volatui
Par tantarum equidem non eris Alitum;
Auſtrô ſed Duce provolas:
Alas ille dabit, queîs Aqvilas librat,
Et roſtra exacuet conſona Tullio:
Campos adjiciet laudibus obſitos,
Quos nec ſedula pervoles.
Non ſolùm Imperij Dux volucrum *biceps*
Campis Auſtriacis jugiter affluit:
Plenis huc gremijs armigeræ Jovis
Plenâ inſtant Aqvileïâ;
Germanæ huc properat bajula Purpuræ:
Nec deſunt Lechicæ: nec qvibus Aureos
Ungves in Labaris Priſca volucribus
Olim Czechia contulit.
Vix Evropa genus prodigij capit,
Quales huc Aqvilæ! quantáque diſcrepent,
Sed junctis ſtudijs, agmina, tot ſuis
Interſtincta coloribus;
Illæ de *nivea* cyclade geſtiunt:
Illæ *puniceô* murice purpurant:
Iſtæ *caruleô* ſidera connotant:
Hæ plumis *varijs* nitent.

Huc ſe ſe revocat parma Sileſiæ,
(Quid parmam vocitem?) pennigeri gregis
Princeps: atque ſuas partubus Auſtriæ
Confert provida *faſcias.*
Ut ſe *verſicolor* Moraviæ vibrat:
Ut Phœbi radijs icta reciprocis
E Campo Auſtriadûm fulgurat undiqve
Teſſellata coloribus.
Celsùm Carnioli gloria nititur
Picturata Soli: congruit ætheri
Pernix penna ſuo facta chamælcon
Inter cærula ſiderum.
Quid Tyrolis agat purpureum Decus?
Campis accelerat Filia rupium:
Umbras, inquit, amant Culmina; Delij
Dant Campi radijs frui.
Reginæ volucrum, Regibus Aulicæ,
In Turres etiam tendite Iberiæ:
Hìc Nidum, hìc Solium figite; ſed ſolum
Clarô viſite germine.
Mirum, ùt depereant (quin pereant tamen)
Summæ Te Volucres Auſter, & Auſtria;
Se juges ſociant agminibus Tuis:
Nam ſolas Aqvilas paris.
HARTMANNOS renovant ſymbola *fluminū*: *Symb: Hart: Arch:*
ALBERTOS recreant *ætherei globi:* *Alberti III.*
ERNESTORUM aciem *Cynthia* provocat: *Erneſti Ferri.*
Ferri ſic Aqvilæ ſolent.
FRIDERICI animos *flamma* reſuſcitat: *Frid: IV. Arch:*
OTTONES Aquilas *gryphibus* inſerunt: *Otton: Læti.*
RUDOLPHI ſociant roſtra *proboſcidi*: *Radolph. II. Duc. Sueviæ.*
An non hæc Aquilina mens?
Quos gignit celebres Auſtria *Carolos*, *Caroli Joſephi.*
Has ſpectant Volucres: inſidet altera
Sphæra terraqueæ; *Cynthius* alteri *Caroli II. Arch.*
Rectô tramite poſcitur.

Quis

Quis cunctas Aqvilas in numerum vocet.
Habsburgô genitas? Pythagoram reduc
Muſis Terpſichore: quo Jovis Aulicæ
Clangant ad numeros Aves.
Sat paſta es placidis Nympha volatibus:
Ut qvid per varios ferris? in Unico,
Qui *Virtute Patrum* Soligenâ micat,
Spectas omnia CAROLO.
Campis Auſtriacis Pullus hic evolat,
Acturus Columen Cæſareæ Domûs:
Dum ſcandent Aliæ ſidera Principes,
Terras cum Jove proteget.
Tyrolis Volucres, atque Sileſiæ,
Ales Moraviæ, Carniolæ comes,
Et Czechæ, ſociô Tevtonis Alite,
SEXTÆ ſex Aqvilæ canent.
Aſſurge Empyreum magnæ Aqvilæ genus!
Sex SEXTO auſpicium pennigeræ ferunt,
Has dum Regna dabunt ſubdita bajulas:
Sexigam facient Jovis:
Qvi ſphæram Imperij contineas manu,
Qvi terras trutines Principe dexterâ,
Qvi celsô qvatias æthera vertice:
Ut Solem Te Aqvilæ vehent.

AD SERENISSIMUM CAROLUM
Cabalæ:

In *ſublime* PATRUM *Via Laurea* tendit: abinde
49. 356. 471. 210. 307. 258. 61. *Summa* 1712.
Te præcelſa AQVILÆ Penna ſub Aſtra levat.
105. 265. 306. 146. 292. 272. 326. *Summa* 1712.

Valor Literarum.

A.	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.	L.	M.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	20.	30.

N.	O.	P.	Q.	R.	S.	T.	V.
40.	50.	60.	70.	80.	90.	100.	200.

X.	Y.	Z.
300.	400.	500.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

SERENISSIMUS CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA

Evolat *Fide*, & *Latriâ* Theoſophâ
Ad Solem Tri-Unum
VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS II.

Symbolum :

Sol cum duplici Parelio, ſeu gemina Solis
Imagine in Nube diaphana, & terminata.

Inſcriptio ſupernè: SoL geMInVs proCeDIt ab Vno-SoLe.
Super Aqvilam: DIsCernIt aCVtVM.

SUBSCRIPTIO, & EXPOSITIO.

Delectâre Ales Te dignô Regie Sole;
Sed Ternósne petis? Non ſatìs Unus alit?
Imò Famem Volucris ſatiat vel Solis imago:
Et capitur Phœbô pupula acuta ſuô.
Hoc *Obſcura* Fides, quam Soli prona Tri-Uni
Auſtria demonſtras, hoc agit Una Fides;
Velatis oculis Fidei velatus & Ipſe
Sol ſatìs eſt: Lumen Gloriæ aperta dabit.
Hâc Carolo præiêre Patres, Spectacula Mundi;
Inviſibilium Te quoque Norma trahit.

Elo-

Elogium II.

Cæſaris Arma canant alij,
Nos Cæſaris Aras. Ovid: 1. Faſt: V.3.

Ceſſa tuas jactare Nilo Pyramides, faſtuoſa Memphis:
In nihilum abeunt etiam Coloſſi Rhodij Miracula!
Tuos conde molium Titanes,
Magna Orbis Domina, Septicollis Roma:
In Nanis inane jactas!
Giganteſcentes etiam Obeliſci,
Olim orbis thaumata, hìc infanteſcunt:
Qvæcunque hactenus vixerunt orbis miracula,
Mortua vanitatis cerno Simulachra,
Dum Coloſſum video:
In Coloſſo, num Cœlum, num Solium? anceps hæreo:
Cælô tamen Eminentiorem in Coloſſo SOLEM adoro.
O Altitudo!
Alta profunditas! profunda Altitudo!
Hìc humiliantur ad umbram Mempheos prodigia,
Solémque *Solum*, & *Unum*, *Trinum* tamen,
Suſpiciunt admirabunda,
De qvo Triſmegiſtus Ter Tullius:
Monas genuit Monadem, & in Se Ipſam ſuū reflexit Amorem;
Τὰ Τρία πάντα.
Primum, & Maximum Movens,
Ex Qvo, per Qvem, in Qvo, ſunt omnia, Roman: XI.
Et vivunt etiam non viventia:
Qvod factum eſt, In Ipſo Vita erat. Joan: I. v. 3.
Hunc aſpexit Credentium Pater:
Abraham Tres vidit, & Unum adoravit.
Videt Aqvila Solium Trimonadem,
Dum Solem cum Parelijs numerat:
Etiam aliàs intuetur Trinum
In Luce, Calore, Motu:

 Aut

Aut
Dum Solis Lux ſimplex fit Tricolor in Iride;
Unum tamen inconniva lucis Filia
De Cavernæ etiam Caligine tuetur, & amat.
Sic Fides
Ad Lucernam caliginoſæ Petræ,
Argumentô *non apparentium*
Solem Increatum Tri-Unum
Credit, & Adorat.
Hoc eſt reconditum Fidei Myſterium;
Imò revelatum:
Mundo oritur Sol Juſtitiæ
Naſcente Chriſto tres in Cælo Soles apparuiſſe refert Juglaris in Elogijs.
Deus-Homo,
Et Tres Soles Horizontem Palæſtinæ coronant;
Damnandum eſt Memnonis durũ taciturnitatis marmor,
Si Tripli ardore Solis
Tunc in Triſagion non eſt eliqvatum:
Qvando ſub unius Occaſu Petræ movebantur;
Stabant ab Æternitate Tres in Una Deitate Soles,
Qvos cum tempore
Orientalium Aqvilarum Trias
Adoravit in Uno.
Huic Tri-monadi Coloſſum ſtatuit ex voto
Theoſopha Fides, & Latria
Magni LEOPOLDI:
Hìc tantùm ſe Ipsô fit minor in Orbe Maximus,
Quantùm minor genibus ſupplicat Triuni Auguſtiſſimus.
Cæſareis manibus lapidẽ primum poſuit in fundamentis:
Ut ſub Tri-Unius DEI auſpicijs
In Caucaſum ſtaret auſpicatiſſimum Imperium.
Ità: *Non ſemper Aqvila ſupra nubes volitat,*
Sed remiſſioribus aliquando pennis deſcendit ad terram;
Sedulius.
Hìc Cæſar homine major,
Cujus Atlanteis cervicibus Orbis incubuit,
Pub-

Publicum Tri-Uni DEO præſtitit homagium;
Peculiare eſt, curvari ſub DEO ijs, qui portant Orbem:
At demiſſa Majeſtas ſemper reſurgit Auguſtior,
Et ipsâ ſui inclinatione exaltatur.
Baſi jactâ Coloſſi ſurgit Imperator,
Cum Imperatore Coloſſus, & Imperia:
Quæ non aliô fundantur fulcrô, quàm Religione, & Pietate.
Juſtus Lipſius L. Polit.
Jam ampla patet Moles, ſed Dominô minor illa ſuô:
Si Tri-unum Solem excipias.
Evolat aliàs è terris Aqvila:
Hic Solis Majeſtate attonita hæret in terra,
Ad pedem Coloſſi, Tantum Caput!
Hic Coronatum verticem Terrarum Dominus
Submittit in terram.
Prodigium Fidei!
Ità qvi *Sole duplô* fulgebat ſemper,
Hôc Sole explorat Alumnos.
Aurelianum infantem, faſciolâ cinctum,
E cunis levatum Aqvila imponit in Aram,
Ut dignum reddat Faſcibus;
Aqvila ſemper fertur probare, qvos genuit,
Nè genus ſuum degeneris partûs deformitas decoloret.
LEOPOLDUS
Affixus Coloſſi plantæ,
Novus ſæculi noſtri Abraham,
Qvoties Tres vidit, Unum adoravit,
Et toties veſtigijs ſuis innixos geminos vidit Pullos,
Pupillas Dico:
JOSEPHUM
&
CAROLUM,
Tri-Unius Solis cum Patre adoratores.
Stupet Orbis,
Et quæ hunc occupat, indignatur invidia,
Qvòd Auſtriadûm Domus,

D Orbis

Orbis tumultuantis arietata ſtrepitu
Stet!
Deſine mirari Anti-Auſtralis Livor,
Ad Tri-Angulum conſtructa eſt:
Stabit in Auſtriacis, Fidei primordiô ortum, Occidentis Im-
Et non malè me ludet augur, (perium,
Cum Argo Aqvilino auſim vates dicere:
Auſtria Erit In Orbe Ultima.
Non poteſt nutare Domus Illa,
Quæ Centrum habet in Cælo:
Fides nempe eſt præcipuum, maximúmque,
Quô ſtabilia, æternáque redduntur Imperia,
Fundamentum.
Perge nunc CAROLE,
A Sole ad Solium vocaberis;
Illud Tibi Multiplex adornat Sol Tri-Unus,
SOLUS Sanctus,
SOLUS Dominus,
SOLUS Altiſſimus:
Tres revehent Auguſti Tempora Soles.
Qui ſic ad Soles jacent, meritò levantur ad Solium;
Affine contrà magnis faſtigijs eſt præcipitium:
Niſi faſtigiatas honorum Trabeas
Numæ Pompilij Oraculô,
Et relictô Poſthumij poſthumis documentô:
Fulciat *Fidei*, & *Latriæ* firmamentum.
Qvid ſtrepitas Livor?
Audi Vatem:
Auſtriacis Hi *Tres Soles Tria Sceptra* dederunt,
Unus & *Imperium Sol* ſinè fine dedit.
Sol Hic nec metas rerum, nec tempora ponet:
CAROLE Ter felix vive, perennis eris!
Pulchra legent pulchri Imperij Tua Poma Nepotes,
Sol fovet Auſtriacos, Sol beat Auſtriacos.

Ode

Digitized by Google

Ode II.

Hujus Vaticinij Ter Secundo Eventui Præludit.

Portenta molis! qvæ ſolido ſuper,
Manu Serenâ, marmore figitur?
Eſt fronte ſublimi Coloſſus
Magnificè feriens Olympum!
O Tybri! vaſto deſine, deſine
Jactare Nilo Pyramides, nihil
Sunt, conde verrucas, inane
Qvid celebras ſtrepitante buccâ?
Qvas Septicollis nominis incly ti,
Jactat Columnas, *Orbis Amor*, Titus,
Aut Adrianus quæ Dynaſta
Romuleus patefecit Orbi
Oſtenta, nani ſunt; quid eburneæ
Moles Canopi? quos Mareotica
Memphis Coronatos Gigantes
Buccinat, exanimi fatiſcunt.
Nîl ille qvondam mole ſuâ gravis,
Bini ſuperbô qui pede Littoris
Terram premebat, ſævientis
Inter aqvas pelagi Coloſſus:
Rhodô Magiſtrâ ſtabat, at Æoli
Evros timebat, ſtriduláqve æqvora
Concuſſa Ventis, claſſiúmqve
Interitus, hominúmqve ſtrages
Sub ſe videbat. Grandior, & ſacrô
Moles Olympô ſanctior eminet,
Frangenda nullas per procellas,
Nec validis qvatienda nimbis:
Æquanda celſis marmora nubibus
Surgunt in auras, machina Numini

 Sur-

Surgit Tri-Uni conſecrata,
Et trepidis Caput invidendum
Immittit aſtris. Nîl opulentius
Dives Syene, nîl Ptolemaidos
Luxus trabalis, nec Cairus
Poſtibus innumeris ſuperba
Jactare novit; Noverit! improba
Idola jactat. Veriùs Auſtria,
Tot Cæſarum Mater, Tri-Uni
Grata DEO fabricavit Aram.
Everte Memphis Mimica, ſimulis
Qvas ſtare nuper Pyramides Dijs
Illuſa juſſiſti; ecce: plusquam
Dædaleô fabrefacta Scalprô
Soli Tri-Uni Pegma Coloſſeum
Surgit: verenti Magnificam Cui
Cæſar baſim dextrâ locavit;
Auſtriadûm hic Pietas avita
Majeſtuosô lumine ſplendicat;
Numen Tri-Unum cernua Cæſaris
Auguſta Majeſtas adorat,
Atque Sacræ LEOPOLDUS Aræ
Affixus ardet, pro populo Numa
Habsburgus, Aſtris ſupplicat, & movet
Cælum: fugatur, quæ venenô
Atra lues populatur Urbem.
Ferrata Cadmi meſſis hebeſcit hôc
Saxô: Phlegræi bellua Sangvinis,
Qvamvìs Trifurcalis bipennem
Vibret, & eximiam laboret
Vexare molem: tartareas vehat
Nubes Triformis nocte Proſerpina:
Hinc Pelio inſiſtens Typhœus
Flammiferas jaculetur Ornos:
Stat Laureatô Fabrica culmine

Inni-

Innixa Cœlo: nîl Berecyntiæ
Rhamnuſidis formidat uncos,
Una Triplô bene tuta Sole.
Qvidnî Secundô Remigiô voles
Hìc Auſtriorum velificans Avis
Ad Solis Arcum, dum librata
Penna cubat Jovis in Statera.
Non hæret ima hæc Ales in Orbita,
Phæbum Tri-Unum reſpicit, Orbe jam,
Virtute Patrum ſublevante,
Altior ingrediens Olympum.
Qui *Sole duplô*, *CAROLE*, fulgidus,
Spes Auſtriorum, Spes Alemanniæ
Clariſſimam Evropæ Salutem,
Tot populis animásqve reddes:
Vivésqve *Triplô Sole* Nepotibus,
Auguſte Semper: Tertius in Tribus
Ungêre regnis; neſcit unô
Tanta Thronô reſidere Virtus.
Perges Beatus tramite Gloriæ
Non indecorô; Prævia ſemitam
Sulcavit hanc Virtus Parentis,
Par animis Cui Sceptra flectes.
O! Pulchra magnæ Progenies Domûs!
Hìc per Nepotes ſtabis, & hâc baſi
Durabis! Auguſta hôc Parentis,
Stabit Avi Pietas Coloſsô.

De Fide, & Latria
Erga Increatum Solem Tri-Unum
Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ.
Cabalæ:

Jam colit acclini *TERNOS* poplite *Auſtria* *SOLES*,
40. 182. 85. 365. 304. 481. 255. *Summa 1712.*
Cæſarea ex *TRINO LUMINE* fulget *Avis.*
186. 305. 279. 304. 338. 300. *Summa 1712.*

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA
Evolat SPE Theandricâ ad CHRI-STUM CRUCIFIXUM,
VIRTUTE PATRUM.
NUMERUS III.
Symbolum:
Aqvila provolans ad Solem ECLIPSATUM.

Lemma: ADhVC Spes LIbrat In aLtVM.

APODOSIS SYMBOLI.

Non removent Aqvilam Nubes, non fulmina terrent,
Nec ſatìs Eclipſi conſcia Luna premit:
Qvò minùs ad Solem, qvanqvam non fulgeat, inſtet;
At *Spes* affulget: Phœbe, diúne lates?
Sic *Spes* Auſtriadûm eſt: magìs indè, Theandrica, Phœbum
Æſtuat, Eclipſi qvòd tumulatus erat.
In *Paſſo CAROLUM* figentem *Lumine* lumen
Spes non confundet: Si probat umbra, teget.

Elogium III.

Aqvilarum Auſtriacarum ad Solis Eclipſim Animoſa Spes.

Ocellus mundi palpebrâ obnubitur;
Lugete Aqvilinæ acies!

Nocte-

Nocteſcit: jam nictandum eſt.
Magnus Orbis Comœdus, Apollo,
Qui Theatrum Univerſi velat, & revelat,
Jam *Scenam* claudit;
Actum egit:
Choros pangite; clangendum eſt.
Non alit aſpectus? paſcat auditus:
Vivitur & Verbô;
Qvô viſibili laborant omnia, feriatur lumen:
Videntia pariter lumina vacate.
Invida à non videndo Cynthia
Videnti cætera, VatiſqueCynthio
Siparium obducit:
Stat in proſcenio;
Tunc ſolùm infeſta, dum Soli maximè conjuncta:
Tunc adverſa, dum plenè ſubjecta.
Vult apparere aliqvid, & non radiat:
Dum paret, diſparet;
Intercipit influxuum Solarium commeatum:
Si fortè Aqvilæ & Lunâ paſcantur?
Sed concutiunt Illæ pennas,
Et atratam excutiunt inter umbras Epigraphen:
Soli Soli!
Ubi Aqvilæ ſemel locavêre nidum, conſtanter renident,
Ubi ſemel, ſemper:
In Sole poſuêre Tabernaculum Suum. Pſal: 18.
Neqvicqvam colluctaris Lucina; eluctabuntur:
Cum Aqvilis MAXIMILIANI Lunam
Comminuent, aut extingvent. Symb: Max: II.
Ea eſt Armigerarum Jovis acies:
Si negaveris, adhuc diſtingvent.
Virtus negatâ tentat iter viâ, Horat: lib: 3. Od: 2.
Catúsque vulgares, & udam
Spernit humum fugiente pennâ.
Qvid torva obtineris Eclipſis?

 Figu-

Figura Gramaticis es: *audieris.*
Qvanqvam etiam Sol tum *ſpectatus* magìs,
Dum minùs *ſpectabilis*:
Magìs obſervatur, dum minùs obſervabilis:
Intendite Aqvilæ!
Meliora latent:
Ad Solem aliàs pullos probatis:
Etiam ad Eclipſim probemini;
Tempora ſi fuerint nubila,
Non cecidit in puteum Spes Veſtra,
Dum in Fontem lucis incidit:
Fontémqve, ignémqve feretis cum temperie:
In fonte renovabitur juventus;
Salutem haurietis, & emergetis.
Aqvila in fontem ſe ter mergit,
Atqve ad juventam redit. S. Hier: Comment: in Iſ.

Merſa eſt Aqvila Auſtriaca cum LEOPOLDO *Aqvâ intercute*;
Demerſa in JOSEPHO, dum pſalleretur: *Vidi aqvam*;
Emerget in CAROLO ab Heſperiæ Thetide:
Cùm ſe conſumptam putaverit, orietur; Job: 11.
Vetuſtatem duntaxat exuiſtis Romanæ Alites:
Durate, & Voſmet rebus ſervate ſecundis, Virg.
Ter!
Non officient umbræ Eclipticæ: ſunt umbracula;
Luna tum peplum obducit, pullum induit:
Sed non Aqvilinum;
Vos faſcias optate, & aptate pro novis genethlijs:
Rurſum orietur.
Stellæ tum rorant in ſtillas,
Pupilli ætheris abeunt in pupillas:
Incaſſum autem, ubi nîl mortale.
Vos renidente, nec in ſe variatô Phœbô,
Corridete, & arridebitis.
Clara eſt, non confuſa *Spei* Lux,
(Romanis loqvor Aqvilis) *Spes non confundit*: Rom. 5.

Im-

Immortalitate plena eſt. Sap: 3.
Si latet, at lucet Titan:
Si probat, & fovet.
Sic eſt Aqvilina Uranie!
Diviniſſimus in Golgotha * *Juſtitiæ Sol* Eclipſin paſſus, * Malach. 4.
Obſcuratus eſt: Luc: 33.
Adeò tamen Aqvilas non arcet, nec tardat Habsburgi-
Etiam ut alliciat: (cas,
Elevatus Ille erigit, deficiens perficit, moriens vivificat.
Maculoſa ab Origine Luna, interjecta Humanitas,
Maculam Ei, quam aſperſit, Sibi abluit: in Fonte luminis;
Cognatas tunc umbras alijs projecit Mons Calvariæ;
Sed Aqvilis exiguas, in reqviem, & refrigerium:
Fecerat exiguas jam Sol altiſſimus. Ovid: Met: 3.
In mare amarum defluebant, & penè diffluebant.
Summi Jovis Aligeri, *Lucis Angeli*,
Oceano hìc Lucis innatant:
Jovis qvoque Auſtriaci pennigeræ, Lucis Filiæ,
Pennas mutârunt in pinnas,
Roſtra in roſtratas,
Remigium alarum in aqvarum,
Cærula cœli in cærula ponti,
Solem in Salum;
Hinc opus Anchorâ:
Qvam fluctuanti Spei *Crux* ſuppeditat;
Anchora de prora jacitur: Virg: Æn: 3.
Huc prora! huc Primores velificantis Imperij!
Auſtriacam Illa firmat Prætoriam,
Fidiſſimam *Naviculæ Petri* ſubſidiariam.
RUDOLPHUS I. ità remos movet, & Romulos,
Primus prima vela facit,
Dum Patri ALBERTUS Filius
Crucis Labarum præfert novus Conſtantinus:
In Hoc Signo.
Symbolum Ejus contra Ottocarum: *CHRISTUS!*
F Pro

Pro Illo erat, non contra, Hic Mediator:
Niſi Summa, non medium petijſſet.
Alter qvidnî emineret, quem cœlum erexit?
Qvidnî Virtutem exereret,
Qvi Medium tenuit, & Mediatorem?
Concordat hic fundamentum Imperij Germanici:
CHRISTUS regnat,
CHRISTUS vincit,
CHRISTUS triumphat. Symb: Caroli Magn.
Crux in Cœlo effulget, dum in terris RUDOLPHUS:
Ut, ſi Coronæ Aqviſgranenſi Crux deforet,
Cœlum ſuppleret Summitatem.
Si Aqviſgrano aqvæ affluerent, Ratis-bona nè deeſſet;
Dignus ſanè Apex Imperij apice!
Dignior Malus prorâ gubernij!
Crucem Illam ſudus æther elaborat
E nube *Candida*, quæ desijt in *Rubicundam*:
Hujusmodi Crux in Cælo apparuit, dum Rudolphus I. Imperator coronaretur.
Ut *Auſtriaco* alludat *colori*,
Primo tot *Purpurarum Candidato.*
Signum hoc poſthac jugiter radiabat in RUDOLPHI ſignis,
Militiæque Cæſareæ Dux Crux Deigera præibat.
Felices Romanorum Signorum Aqvilæ,
Qvæ honorandæ Illi locô aſſurrexiſtis!
Volare merebamini, dum Illa prævolavit;
Indè Crux RUDOLPHO Delicium! (vatæ;
PugnæEjus à Feriâ potiſſimùm Crucis, non à feriendo deri-
Negotia ſumma Feriâ gerebantur Sextâ,
Semper ter ſecundâ:
Annexa nempe eſt Cruci Benedictio:
Cui Epinicia fundebat omnia; & qvidnî?
Trophæum eſt.
Nidificate in Regia hac arbore Reginæ Alites!
Materies Crucis *Cedrus* eſt: eminebitis;
Palma eſt: triumphabitis.
Apprehendit hanc Palmam *FRIDERICUS Pacificus*:
Non

Non ſinè *Olea* innexa *Cruci*, connexa *Paci*:
Dum è *Viſione Pacis*, & Crucis, *Ieroſolymâ* redux
In Cruce reperit Pacificale:
Et ultrà!
In Augem Romani ſublatus Imperij,
In Cancri Tropico *Regredere* & *Solſtitium* celebravit.
Revixit in Eo, Auſtri inter Regiam, Heraclius
Crucem Exaltans.
Exercitui meo Crux præit:
Claſſicum eſt CAROLI V. cum Theodoſio.
Seqvimini Aqvilæ
Eclipſim etiam Solis Golgothæi!
Illa vobis pro Scuto erit: Terret Orbem;
Terror erat Orbis CAROLUS: qvia Amor *Crucis*
Imperij Pomo eminentis.
Amor *Sagittiferâ promit duo tela pharetrâ*,
Diverſorum operum: Ovid: Met:
Fugat hoc, facit illud amorem;
Qvod facit, auratum eſt:
Qvali vulnerabatur CAROLUS.
Qvod fugat, obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum:
Qvali à milite Saxone ſauciatus eſt Crucifixus.
Conſpicatus Effigiei Crucifixi luminis, & Numinis
Sextum Vulnus glande plumbeâ additum:
Qvinqve, inqvit CAROLUS, Qvinto ſufficiebant
Electa præ millibus
Vulnera, dicam, an vulnerum pharmaca?
Pharmaca ſunt potiùs, quàm vulnera: Auden: lib: 3.
Curat enim plagis vulnera noſtra ſuis;
Qvid iſte Calvariæ Tragœdiam renovat,
Et vulnus addit Vulneribus?
En me Vindicem, exclamat; Juva!
Fulmen hæc Aqvila meritò tùm vibravit:
Ut Plagâ unius plagis omnibus ſubditis mederetur.
O! Aſtronomæ Aqvilæ!

F 2 Per

Per Vulnera ſaltèm radiat Sol in Cruce velatus;
Non ſemper totus Eclipſi occulitur:
Eſt pariter revelatus.
In *Alto* verſantur Magni Principes,
Qvod *profundo*, & *mari* conſonat:
Ubi ſinè tempeſtate vivere prodigium eſt;
Anchoram figant, eſt neceſſe.
Fixit hanc ad Promontorium Bonæ Spei
FERDINANDVS II.
Nihil ſibi ſecundius exiſtimans illô Eccleſiæ:
O! Crux ave, Spes unica!
Jactabatur Ille in *alto*, ſuorum inſidijs,
Qvi vulnerum Domini pharmaca toxicô imbuêre:
Ut aſſvetum Divo Cæſari *baſium*, foret *letbum*;
Sed Apollo Medicus eſt,
Renuit prodigioſis indicijs *ſæva* adeò *ſvavia*:
Unde mors oriebatur, indè vita reſurrexit; Eccleſ:inPref:
Evaſit Cæſar Scyllam, & Charybdim.
Qvid ultrà fluctuamus?
LEOPOLDINÆ Aqvilæ etiam tacendo clangitis:
Ubi Spes?
Vincere aſſolent Romanæ Acies,
Dum in Solem Eclipſatũ aciem intendit Aqvila Auſtriaca;
Hæreditaria eſt CAROLO Archi-Duci Spes Auſtriæ:
Hâc Eum firmabit Anchorâ,
Inter tot ſoli, & ſali diſcrimina.
Symbolica erit *Sexto* feria *Sexta*;
Solem qvippe primum interpoſitâ *Lunâ* conſpexit,
Qvâ *natus* eſt:
Ut Lunam *Marte* extingvat,
Qvô *Coronandus* eſt;
Fiátque Orientis Imperio verus *Sol*, plenè conſpicuus,
Remotâ *Lunâ* & *Eclipſi*.

Ode

Ode III.

Dux Auſtriacarum Aqvilarum RUDOLPHUS I. in ſui Coronatione Sceptri locò Crucifixum arripit, hâc Spe: Hoc Sceptrum eſt, qvô DEUS regnat, hôc Ego utar contra hoſtes DEI, ac Imperij.

Annal: Trevir: Ad An: 1274. Odor; Rainal: Annal: Eccl:

Qvando inconcuſſam allambit levis aura carinam,
Anchora caſſa jacet;
Si ſubitis rerum jactetur cymba procellis,
Tunc datur anſa Spei.
Non ſecùs Auſtriacam, famulô luctamine, Stirpem
Fluctus in alta levat;
Qváqve aliæ pontô merſæ fremuêre celoces,
Hanc locupletat honor.
Nè metue hoſtiles vindex Prætoria Cauros:
Nubila denſa tonent!
Nè metue eclipſes Aqvilina Colonia! Soles
Non latuêre diu.
Qvæ tumulant alijs Lunatica nubila Solem,
Sunt tibi forma CRUCIS.
CRUX Tibi Dux pro Sole *Spei* ſpem ſyrmate paſcit,
Splendidiórqve die eſt.
Vix Germana ſuo dixerunt Jura RUDOLPHO
Imperiale decus:
Nec mora, mox æther ſe cingit nube ſerenâ:
Paret Imago CRUCIS.
Spectat Aqvis-grani turba, Imperiſqve theatrum
Præſcia vota poli;
Concolor Auſtriacis, nova primùm viſio, *Campis*,
Alba, deinde *rubet*:
Atqve ſecuturæ canit omina provida Stirpi,
Cæſareúmqve Decus.
Euge RUDOLPHE! Tuo hæc reſpondent præmia zelo,
Qvem CRUCIS ornat amor.

G Æter-

Æternis facinus faſtis qvod mandet Olympus,
Secula cuncta canant;
Jámqve coronando Proceres ùt adeſſe Monarchæ
Pompa parata vocat:
Concrepuêre tubæ, campanô in turribus ære
Omnia templa ſonant:
Jam fora, jam vicos validô replet agmine plebes,
Imperiſqve Chorus;
Jam via ſtrata nitet, qvidqvid ſpectatur in urbe,
Eſt charis, atqve decor;
Huc plenô Juno, plenô fert Copia cornu,
Nobile qvidqvid habent.
Jam Capiti Diadema datur, Solióqve locatur,
Qvem polus ipſe probat.
Hic Pomum Imperij defert, hic Enſifer adſtat:
Munia mille Ducum;
Nec vacat applauſu, tormentorúmqve boatu
Splendida ſcena ſuô.
Unum *Sceptrum* aberat (caſum hunc bene gnara futuri
Cælitùs Æthra dedit)
Dum reliqva accelerant, id neglexêre Miniſtri,
Qvo ſinè mancus honor;
Qvid faciant? non eſt Regis completa poteſtas:
Dextra vigore caret:
Dum nec, qvóve fides, aut juramenta ſuorum
Excipiantur, habet.
Qvid faciant? negat obſeqvium præſtare Vaſallus,
Officiúmqve neqvit.
Cæſareum Caput agnoſcunt: ſed dextra nec ungvem
Cæſaris iſta micat.
Altera pars ſtatuunt regredi, pars altera nutant,
Ancipitésqve rigent.
Tum ſurgens, velut empyrio ſuccenſus ab igne,
Talia Cæſar ait:

Hoc

Hoc ſceptrum eſt (Crucifixus erat, qvem prompſerat Arâ,
Qvem levat Ille manu)
Hoc ſceptrum eſt, Qvô cuncta regit, quô regnat ubiqve
Numinis æqva Themis!
Regnavit DEUS à ligno: non ſtringitur aurô
Regij honoris apex.
Qvin ſeqvimur, qvibus indè fluit data tota poteſtas,
Qvos CRUCIS armat amor?
Hoc ſceptrum eſt, qvô de ſtygij feritate Tyranni
Eruta turba ſumus;
Hoc & ego, contra Imperij, contra ætheris hoſtes,*
Certus ovare, feram.
Fulmen erat vehemens, Aqvilinis talia roſtris
Qvando profatus erat:
Perculſi confeſtim animis, ut homagia præſtent
Aula dedêre manus.
Sic Pietas, ſic Relligio pro Sole refulſit,
Sic data dextra *Spei*.
Sic tota Procerum de Tempeſtate triumphat
Anchora fauſta CRUCIS.
CAROLE, qvem *Virtus* tantorum Cælica PATRUM
Ornat, amâsqve ſeqvi:
Hæc Tibi, ab Auſtriaca primævus origine, Cæſar
Dat monumenta Spei.
CAROLE, ſume CRUCEM! (Hanc Hiſpania deferet o-
Hungariæqve ſolum) (lim,
Hìc Sol affulget, licèt Eclipſatus: & ultro
Spem Deitate levat.
Sic & *Apoſtolici* digniſſima Nomina Regis,
* *Catholiciqve* geres.

Licentia Poëtica.

Auſtriaca SPES in CRUCE.
Cabalæ:

A CRUCIS Omnigeno Splendore Habsburgica fulget
1. 385. 231. 354. 403. 338. Summa 1712.

SPES, & ab Hoc, qvidnî *Tuta*? Stat Ipſa Fides!
245. 205. 3. 61. 232. 401. 291. 160. 114. Summa 1712.

CARO-

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA
Evolat *Charitate* ad Solem
Evchariſticum,
VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS IV.

Symbolum :
Aqvila provolans ad Solem
Sub Nube Candida.

Inſcriptio Soli: SVb VeLI CanDore AMor Iſte Latet.
Aqvilæ: FLos MVnDI VILesCe! AMor, hæC
ſat Cernere, DIXIt.
Affectus Margaritæ Auſtriacæ, æqvanimiter, vitâ ultimùm Evchariſtiâ, exercata.

SUBSCRIPTIO, & EXPOSITIO.

Noſter Amor ſub Nube latet: langventéq; Sole
Sub velo hoc niveo, tunc magìs ardet Amor.
Non latet,ò volucrũ Regina,Miniſtra Tonantis,
Aſt Amor ille magìs Sole latente patet.
Faſtidis nebulam? qvin imò hæc candida nubes
Annulus eſt: Phœbo nube gemella tuo.
Auſtria,huic Nubi Tua qvæ primordia defers,
Pende etiam Soli Corda Aqvilina Tuo.
Hoc petit:hic oculus cordis, videt intima nubis:
Qvo ſinè pupillam Te fore nónne gemes?
Donec eris tecti ſub nube Miniſtra Tonantis,
Et volucrum Princeps, & Jovis Ales eris.

Elo-

Elogium IV.

Evchariſtiæ inqviris Sacrarium?

Domum ingredere Auſtriacam;

Imò ad fores tantiſper ſubſiſte admirabundus,
Et ſi Fidem non habes: vide;
Hìc Domus abit in Solis Regiam,
Et Inqvilina Alitum Regina, Lucis filia,
Stante Lucinâ, ad radios appendit cunas:
Ut Luce Euchariſtici Solis Magiſtrâ
A primis incunabulis ſuos initiet pullos.
Diſcit in primis faſcijs ſpeculari Solem
Aqvilina Progenies,
Et in mille Speculi fruſtulis Unum Integrum ardet millies.
Laudant Alaudæ, clangunt Aqvilæ,
Illæ Auſtriacæ, hæ Cæſareæ,
Etiam dum Solem candidula ſub Nube vident.
Qvantillus Sol in oculo Aqvilarum!
Et tamen Qvantus!
Vident Solem in minuto Cryſtalli orbiculo,
Toties Orbe majorem
Et Immenſum in parvo adorant.
RUDOLPHUS
Maximus ævô;
Et Primus Sceptris *Virg: lib: 2. Æneid:*
Primus Auſtriaci culminis Apex
Aqvilam ſe probavit,
Qvando ſub Farris Triticei orbiculo veneratus eſt Solem:
Exinde dignus, qvi ſolus Orbi imperaret,
Poſtqvam Baſim Imperij in centro Orbis Evchariſtici loca-(vit,
Et in Orbe Solem Auguſtiſſimorũ Nataliũ habuit Vatem:
Abhinc Cæſar
Auſtriacorum Protoplaſta Cæſarum,

 Aqvi-

Aqvilarum Aqvila, Numa Habsburgicus,
Qvibus, & Sibi
Adoratus ſub *Nube candida* Sol Divinus
Prodromus fuit ad Imperij Solium.
Orientem in via veneraturus, ex eqvo deſcendit,
Et Altior Thronum conſcendit Occidentis;
Prolapſus eſt, & ſurrexit; cecidit, & evectus eſt;
Genu flexit Evchariſtico Orbiculo,
Et Sibi, Poſteriſqve adgeniculatur Orbis.
Digna legi Virtus: ultrò ſe Purpura ſupplex obtulit.
Claud. de 6. Hon: Conſ:
Poſt Noyeñium ab Adoratione levatus eſt in Solium:
Et inconcuſſum ſtetit *Cognatæ* Veſtalis Vaticinium.
Humiliatos vidit hoſtes, incurvos Reges,
Proſtratos Ottocaros, Supinos Ertuculos,
Orbem reclinatum,
Evchariſticus Triumphator.
Tot bona tam Parvo clauſit in Orbe DEUS!
Prop: l. 3. Eleg: 7.
Hoc Opus, & Pietas hæc prima elementa fuerunt.
Ovid: l. 3. Faſt:
Plaude Evchariſtica Charitas!
Dum Vectigalis facta es, *Frumento Electorum*
Tributarium Tibi feciſti Evropæ Taurum.
Metire nunc *Rudolphinæ* Poſteritatis Amplitudinem:
Actum agis, niſi Sol Planeta famuletur pro Circino:
Ille temporum Parens Sol, dum alijs occidit, *Vernul: Apol.*
In aliqva Gentis Auſtriacæ Provincia oritur, *Pro Gent: Auſt: c. 2.*
Et diem facit: noctem neſcit tantum Imperium,
Qvod alicubi ſemper diem habet.
Qvis ambigat!
Auſtriacis Sol Evchariſticus, Lucis Fons eſt domeſticus:
Cujus cultus qvantùm extenditur,
Tantùm Sceptra, & Diademata propagantur.
Stat ſub Sole Hoc
Domus ad ſummum Faſtigium genita,
Lipſius Cent: 2. Epiſt: 89.
Plena

Plena Laurearum, Imperiô fœta Domus: Claud: in Nupt: Hon:
Vix numerat Triumphos.
Sic Sibi devicit Cœlos vinci neſcius
Amor Evchariſticus:
Hôc Scutô Cœlum expugnat innocens Gigas.
Pares Amores
De tenero meditatur Ungvi Horat: l. 3. Ode 6.
CAROLUS Archi-Dux:
Vix Serenas Lucina ſtraverat Cunas,
Et, diſtingvens Byſſum à Purpura,
Sub vitæ Auroram
Panis Nive velatum Solem conſpicatus,
Primâ infantis Oris voce A. A. A. adoravit,
Futurus Ter Auguſtus.
Qvid aget in Honoris Meridie?
Qvoties Ei deinceps venit obvius Orbis Evchariſtici
Bajulus Atlas,
Ad *Corpus* advolavit AQVILA:
Nec tantùm
Coronis jam etiam gravem verticem,
Sed cum Auro, & Cor Auſtriaco-Evchariſticum inclinavit.
Hæc ſi egiſſet in oculis Romæ nondum Chriſtianæ,
Et Aram, & Pulvinar, & Flaminem nactus fuiſſet.
Felix Ille Parens! qvàm Lætus ab Æthere cernit,
Se factis creviſſe Tuis! Claud: de VI. Conſ: Honor:
Felicitas Tua circa Solem vertitur Evchariſticum,
Non invertenda;
Hæc Rota Sceptra *vehet trans æqvora, tránsqve remotas*
Thetyos ambages, Atlanteósqve receſſus. Claud: de P. & Oly: Conſ:
Et poſt Herculeas revehêris, CAROLE, Metas,
Imperiúmqve vehent Sex, Tibi *Sexte*, Rotæ.
Qvod Lyrica Sappho mutatis à Jeſu Cithara
(Evchariſtia)
Chordis, & affectibus, cordatè vaticinatur:

 Ode

Ode IV.

RUDOLPHUS *Habsburgicus*

DEI EUCHARISTICI Adorator,
IMPERII AUSTRIACI FUNDATOR:
Ejuſdem CHARITAS EUCHARISTICA
PROPAGATRIX.

Muſa, da noſtris Latiale flumen!
Phæbe, da metris radioſe lumen!
Evchariſtiæ Pietas decorè
Ut ſonet ore.
Qvà lavat claras Tiguri profundis
Limagus valles nemoroſus undis,
Obſitas ſylvis, modicisqve rhamnis
Recreat amnis:
Hàc vacat, ſaltus metiens profanæ
Præpes HABSBURGUS ſtudijs Dianæ;
Svevit hìc mentis Bonus Ille duras
Ponere curas.
Nunc apros ſternit celebri duellô,
Hinc lepus luget leviore bellô,
Cervus hinc collô trepidante pallet,
Sangvine ſqvallet.
Hoc facit fauſtùm Tibi per ſerenas
Sangvinem clarum fluitare venas,
Alſatûm Dux, dum pede poſcis altum
Præpete ſaltum.
Ecce, de campis nova præda venit;
Móxqve venantis vaga membra lenit:
Cæſaris Sceptrum, an Trabeam datura
Eſt Cynoſura?
Luſtra Sylvarum volucri caballô,
Montium colles, comitante vallô,
Transſilit, paret qvoqve Fons benignus,
Nobile pignus:

Fons

Fons adeſt, laſſo pelagus ſalutis:
Cervulus telis ab amore acutis
Advolat læſus, recreátqve bellos
Mentis ocellos;
Diſſipo velum: Niveum Tonantem,
Candidô clauſum ſpeculô, beantem
Cælites, Lator, nimiùm profundas
Siſtit ad undas.
Qvid moras flumen facis hìc procellis?
Dicit Habsburgus; manibus gemellis
Se levans, Tectum Nive Numen orat,
Multus adorat.
Cælicum Myſtam bene ſuſpicatus
Ipſus Aſturcon ſtetit, & paratus,
Subjugi tergô, dicat ora frœnis,
Promptus habenis.
Candidum Solem comitatur Ales
Prima, ſuccedunt pietate Tales,
Poſteræ qvævis ad eburna Natæ,
Sceptra paratæ.
Regis hinc Primus tulit Ille Nomen,
Et tulit tantæ probitatis Omen:
Sernitur ſupplex Domino, levatur,
Cæſar amatur;
Inqve ſe Princeps pietate Totum
Attrahens Numen facit, ut Nepotum
Regium vertex Diadema tangat,
Jubila pangat!
Hìc datum Habsburgis Aqvilis videre,
Cynthium Velis Niveis habere,
Qvem colat Tantæ Sobolis Corona
Poplite prona;
Orbis Hic plùs, qvàm capitale Scutum:
Auſtrijs reddit Diadema *tutum*,
Regios, factos Sibi poſt amores,
Servat honores.

Eſtò, Bellonæ tumeant procellis,
Regna laſſentur tribulata bellis:
Auſtria eſt felix, cui fronde vivâ
Gemmat Oliva.
Innatet tabo trepidans Oënus,
Sordidet ripam ruber amne Mœnus,
Sic, ut egeſtis tumeant profundæ
Oſſibus Undæ:
Scuta cum Scutis, fera tela telis,
Miſceant hoſtes ſua vela velis:
Auſtriæ Mavors ſtat, ovátqve amœnis
Gloria Scenis.
Stabit & Scutô Niveô! Trophæa,
Qvæ fatis nunqvam celebrent Lycea,
Deſtinans ſpondet Jovis æqva totis
Diphthera votis:
Nube Sol tectus, ſpecioſa gemma,
Auſtriæ fundans geniale Stemma,
Regijs juſſit radiare Zonis,
Atqve Coronis.
Et dabit poſthàc, Aqvilina Solem
Ales Habsburgi venerata Prolem
Semper ut cernat: CAROLINA amœnis
Pignora Scenis.

De Charitate Auſtriaco-Evchariſtica Cabalæ:

Illimem JESU CITHARAM Jovis expetit ALES,
123. 304. 232. 358. 579. 116. *Summá 1712.*
Hûic CITHARÆ doctam jungit Apollo *lyram.*
220. 207. 188. 365. 201. 531. *Summa 1712.*
* *Addyra (V. tum:) conſonat Auſtriaco-Evchariſtica Charitati.*

CARO-

CAROLUS
ARCHI-DUX
A·QVILA
Ab Auſtro provolans
Hyperduliâ Marianâ
Ad Solem in VIRGINE:
VIRTUTE PATRUM.
NUMERUS V.

Inſcriptio Aqvilæ: VIrgo TVos aCCenDIt aMores.

EXPOSITIO.

Cætera participant Solarem ſidera Lucem:
Soli ſola jubar *Virgo* dat, atqve *diem.*
In Sole eſt Virgo, Sol eſt in Virgine fulgens:
Alter ab alterius lumine lumen habet.
Huc Aqvilæ Auſtriacæ, viſúmq; intendite! Lucis
Augmentum, *Auguſti*, nobile, Virgo parat.
Auguſti Menſis Sidus dabit: Auſtria in unam
Ut micet Auguſtam, Cæſareámqve Domum.

Elogium V.

Aqvilæ Auſtriacæ pupilla nævi impatiens
In Muliere amicta Sole, *Virgine Immaculata.*

Apoc: 12.

Oculi Aqvilini, jam occulimini!
Oculis ab occulendo dictis, & ductis
Spectari amat, ſi tamen amat ſpectari,

Virgo in Sole, Sol in Virgine.
Induite Etymologiam, egetis tunicis ;
Palpebrâ claritatem obducite, ut inducatis;
Protegite pupillam, ut lumini proſpiciatis.
Ità ſuſpici vult, nunqvam Suſpecta,
Virgo *amicta Sole*, Sol Virgine.
Geſtate Eam in oculis, *cuſtodite ut pupillam*:
Eſt nævi impatiens, eſt *ſinè macula*.
Obnubantur oculi Aqvilarum,
Et maritentur lumini columbarum,
Ut *progenerent* ſemel *Aqvilæ Columbam*;
Neqve degenerabunt à Charitate, ſed generabunt:
Qvia *pulchra eſt caſta generatio cum claritate*; *Sap: 4.*
Erit partus iſte altus, & Aqvilinus, ſi aptus, & columbinus.
Placent *Soli Juſtitiæ* in Virgine *oculi columbarum*: *Cant: 1. & 4.*
Placent Virgini in Sole oculi Aqvilarum;
Nam & Ipſa coloris eſt Aqvili:
Nolite me conſiderare, qvòd fuſca ſum. *Cant: 1.*
Si Virgo in Sole,
Nigricate pupillæ Aqvilinæ:
Nigra eſt, decoloravit Eam Sol; *Cant: 1.*
Si Sol in Virgine,
Candicate pupillæ Columbinæ:
Macula non eſt in Ea. *Cant: 4.*
Sideramini Alites ſiderum inqvilinæ,
Jam etiam columbæ aſtris inferuntur, & deferuntur:
Divinior Columba Spiritus Domini, Sum̃i Jovis fit bajula:
Illuſtravit Eam, dum obumbravit:
Illuſtravit Sole Virginem, dum̃ obumbravit Virgine Solē.
Microcoſmus ſanè prodigiorum!
Spectatur in Virgine, dum reconditur
Clariſſimum Myſterium.
Aſtra conſpiravêre in Illam,
Vivunt compendiosè in hac Erigone:
Illic Phæbus purpurat: *Mulier amicta Sole*; *Apoc: 12.*

Illic

Illic Cynthia candicat: *Luna ſub pedibus Ejus.*
Illam Aſtra redimiunt: *In Capite Ejus Corona Stellarum.*
Huc columbinæ Aqvilæ, oculos adjicite:
Hìc Cœlum in Epitome.
Stellæ aliàs à Sole lucem participant:
Hoc Sidus Soli jubar communicat.
Lucem primam ab Eo hauſit *Lumen de Lumine*,
Soli Ipſi Increato diem præbuit;
Etiam ex Aurora dies naſcitur:
Qvem Stella, qvæ Solis rotam
Vincit decore, ac lumine,
Veniſſe terris nuntiat. *Eccl. in Hymn: Epiph.*
Si Nuncia eſt Illuſtriſſima,
Qvidnî Principalis Sereniſſimus?
Ampliàre Habsburgicarum Lucis Alitum
Domus Sereniſſima, & Auguſta!
Magna hinc Tibi Splendoris acceſſio:
Auſtria tota qvanta Mariana eſt;
Qvot Surculi Auſtriaci, tot Parthenij.
Etiam ſurculi inoculantur, & oculi nuncupantur:
Ut Sidus Iſtud ſpectent, & ad Illud ſpectent.
Hæc Virgo Vobis in luce, & oculis:
Tenet uſqveqvaqve oculos Veſtros;
Vos Eam in oculis fertis.
Pene hìc dixerim oculis captos,
Dum longè oculatiſſimos.
RUDOLPHUS I. Todmoſenſem *Matrem Lucis;*
ADALBERTUS I. Bingenſem *Auroram Vitæ:*
ALBERTUS II. Aqvisgranenſem *Maris Stellam:*
MAXIMILIANUS II. Brunenſem *Fontem Luminis:*
MATTHIAS I. Boleslavienſem *ùt Sol Electam:*
FERDINANDUS II. in Albo Monte *Pulchram ùt Luna:*
FERDINANDUS III. Paſſavienſe *Sidus beneficum:*
LEOPOLDUS Magnus Bötzenſem *Caſtrorum, an Aſtro-*
(rum? Aciem:

K CARO-

CAROLUS Præſul Czeſtochovienſem *Cynoſuram*:
ALBERTUS Archi-Dux in Aſpero Colle
Aulam lucis fulgidam:
Aut fundant Bonis, aut Donis ornant.
Aſcendes & CAROLE in Montem,
Montem Serratum:
Ut vicinior ſis Aſtris, conjunctior Aſtro Virginis:
In Cellas Marianas cœlos contrahes,
Dum cœlum mutabis Tevtonum in Iberum.
Æmulos excitabis Cæli, terræqve Principes,
Principium ibi fundans Regni Heſperiæ,
Ubi Principium eſt Regis Regum:
Per me Reges regnant.
Offic: B. V. ex Prov: 8.
Qvæ illic concentratio gemini Sideris, qvæ influentiæ?
Vel Te Aſtrophilô Virgo adſcribetur Auguſto,
Et Cæſareus hic menſis à *Sexto* Cæſare *Sextilis* audiet.
Qvis neget Aqvilis Auſtriacis Virginem eſſe pupillam?
Stellæ non tantùm cælorum ſunt ocelli,
Sunt etiam Auſtriæ:
Imò qvi orbis univerſi Luminaria magna referunt,
Metientes Sole Imperia Cæſares,
Solem in ſeſe conjungunt Virgini
Ter Secundâ conſtellatione;
Neqvit vel Palladis noctuam latere tantus fulgor.
Pernovi tandem *novum* illud *ſuper terram*: *Jer: 31.*
Qvid ità ad Virgineum Sidus Aqvilæ?
Solem alioqvin anhelant evolando,
Corpus devolando:
Utrumqve habent in Virgine: Solem Incarnatum.
Sunt Virgini in delicijs Campi Auſtriaci:
Qvia *Dilecti* Ejus *Candidi*, & *Rubicundi.*
Sunt Ejus pulli Aqvilæ:
Nam dum Illa Solem parturit ſub Tropico Capricorni,
Exoritur pariter Sidus Aqvilæ;
Qvàm auſpicatâ cum Cœlis conformitate

Biceps

Biceps Aqvila Carolina ſumet Coronæ primordia!
Audierit LEOPOLDUS M. Cæſar Marianus:
CAROLO hoc Principale analogatum attribuendum
Primordia ſumpſit in Cellis:
Niſì qvod Perſonæ damus, eſſet Familiæ;
Magni à RUDOLPHO Poſteri, omnes ſunt Mariani.
Ille S. Philippô Benitiô, & D. Albertô Magnô,
Domeſticis Conſcientiæ uſus Arbitris;
A Servo, & Prædicatore Deiparæ
Qvid aliud poterat, qvàm *Maris Stellam*,
Et in Ea Splendorem haurire?
A Sanctis Sanctitatem.
Nihil gravioris negotij egit, niſì invocatâ Matre
Boni Conſilij:
Annon hæc Aqvila flagrans ad Solem in Virgine?
Fratrem ſe Mariæ Servorũ vocitari *RUDOLPHUS* geſtit:
Ab *Ancilla Domini* Dominus Orbis condidicit famulatum.
Meruit enimverò à *Gratiâ plena* gratiæ plenitudinem:
Ut Hunc Fratrem Servorum
Romanum Monarcham agnoſceret Servus Servorum.
ALBERTUS II. Thronum erigit Mariæ,
Throno Numinis,
Eccleſiam ſic nuncupans Gamingenſem:
Ut reſideat ſemel, orbem beneficijs peragrans,
Luſtrans, & illuſtrans
In Solio Phœbus claris lucente Smaragdis; Ovid. 2. Met.
Dignus planè Cæſar Soliô à mundi Domina munerari.
Qvid Annales contraham in punctum,
Sæculorum Sphæras in Aqvilæ ocellum?
Unius ſatìs eſt fulgida Te veſtigia terere,
Minimè calcare,
Magni Avi FERDINANDI III.
CAROLE Nepos Maxime:
Non alium Ille reſpicit Solem, qvàm in Virgine
Macularum experte, Immaculata.

 Hanc

Hanc Campis Auſtriæ Patronam præſtituit,
Ut à Spica Virginis *Campi Tui repleantur ubertate.* Pſ. 64.
Feſtum *IMMACULATÆ* celebrius fecit
Aqvilinô omnino conceptu,
Cui nec Momus labem aſperſerit, niſi ſuam.
Jejuniô id præveniri jubet:
Qvi magnam Sui apud omnes famem cum fama reliqvit.
Vivit etiamnum in corde Pragæ Coloſſus,
Primarij Fori ornamentum, & Chori:
Ad qvem ſeu columbæ plangentes,
Seu Aqvilæ clangentes, etiam Infulatæ,
Mariana buccinant Sabbata:
In his *FERDINANDUM* aut Orpheum,
Aut Atlantem?
Atlantem non Urbis duntaxat, non Orbis portitorem,
Sed ultrà
Ejus, *Qvi mundum pugillô continet*:
Hymn: Eccleſiæ.
Ejus, qvæ comprehendit, *Qvem totus non capit Orbis.*
Hanc Tu cum Orbe geris in manu cordata,
Geſtas in corde munifico,
In amore Mariano non jam Comes Habsburgice,
Sed Archi-Dux Auſtriace,
CAROLE;
In Hac etiam *Acie Caſtrorum ordinata*
Invictiſſime.
Cant. 6.
Non eges hìc Exemplis Patrum, pro Duce prævolas:
Amor addit Alas.
Adjice *oculos in amore Duces*:
Habent oculi Retinam, qvâ capias,
Tunicas, qvibus ornes,
Cilia, qvibus irradies,
Palpebras, qveis protegas
Cum Aqvilis Hanc Cæli Pupillam, labis neſciam.
Dices in Serrato monte:

Leva-

Levavi oculos meos in montes. Pſal: 120.
Convertet & Illa:
Illos ſuos miſericordes oculos;
Qvia reſpexit. Luc. 1.
Et ubi arma qvondam Divus ſuſpendit Ignatius,
Ut *armaturam DEI* aſſumeret,
Tu Armamentarium reperies, & Propugnaculum:
Urbem refugij, Turrímqve munitam:
Ex Offic: Immac:
Mille clypei pendent ex Ea,
Omnis armatura fortium. Cant: 4.
Ità Signa Tua à Signo Auguſti erunt Auguſtiſſima,
A Maria de Victoria, Invictiſſima.

Ode IV.

Claſſicum ALBERTI I. Ave Maris Stella! Ante prælium intonantis; & FERDINANDI II., Deiparam, *ſuam* Generalissimam *vocitantis.*

1. Buccinam Thalia prome,
Pange claſſicum:
Tibijs nè molle come
Drama Muſicum;
Lituos apta labello,
Hæc profundent ſiſtra bello
Dùlce Maſſicum.
2. Pallas ALBERTINA rexit
Orbis orbitam,
Qvando Marti ſpem retexit
Sortis abditam;

L Tale

Tale carmen Muſa clanges,
Hanc avenam Nympha tanges
Prorſus inclytam.

3. Auſtriæ periclitante
Ille præliô,
Mariano ſudit antè
Vota Delio;
Solis hujus facta ſerva
Tota plauſitat caterva
De Parelio.

4. Jámqve nos adverſa caſtra
Marte lædere,
Sed levatur ſpes in Aſtra
Freta fædere;
Grandis ingruit procella,
Æqvoris faveto *Stella*,
Bella cedere.

5. Sic ſecundis marcet Auſtris
Res Ottocari,
Eſt refertis parta plauſtris
Præda Cæſari;
Auſtriæ favente ſorte,
Hoſtium tument cohorte
Stagna Tænari.

6. Hinc Secundus FERDINANDUS
Mille floreas
Orbe totô nominandus
Fert adoreas:
Polemarcham conſalutans,
Qvâ regente terra nutans
Nè qvid horreas.

7. *Generali* qvando gaudet
Matre Numinis,
Pace ſemper arma claudet
Plena luminis;

Nihil

Nihil hirtus Biſton audet,
Cæſar uſqveqvaqve plaudet
Abſqve terminis.

8. Eja Cynthij Catervæ
Flate buccinas!
Mentis exuet protervæ
Luna machinas;
Gnara Pindi penna ferve,
Tota Dignitas Minervæ
Læta concinas.

9. Magna CAROLUM juvabit
Pallas ætheris:
Cæſaris longè ſonabit
Nomen Exteris;
Stemma Fauſtus ampliabit,
Clariora perpetrabit
Ille Cæteris.

10. Si Gradivi fervet ignis
Et procacia,
Eſt Monarchæ præſtò Signis
Plena Gratiâ:
Inter hoſticas procellas
Suggeret *Maria Cellas*
Pro malacia.

De Hyperdulia Mariana Auſtriacæ Aqvilæ.
Cabalæ:

PARTHENIO Hæc Volucris confidit Lumina SOLI: *Summa* 1712.
353. 17. 652. 221. 300. 169.

Largiter Hæc auge, ùt Sidera, VIRGO Potens! *Summa* 1712.
302. 17. 213. 300. 189. 336. 345.

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA
Zelô Fidei evolat ad Solem
Obnubilatum,
VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS VI.

Symbolum :
Aqvila Soli inter Nubila occurrens,
& velut ſuccurrens.

Inſcriptio Soli: ArDor aLIt, LVCétqVe MagIs,
neC DefICIt VnqVaM.
Aqvilæ: SVCCVrrIt DoMIno.

SUBSCRIPTIO, & EXPOSITIO.

Nubila non terrent Aqvilas, Solémqve tegendo
Affectum produnt, Stirps Aqvilina, Tuum.
Nec Soli officiunt, Aqvilis nec ſidera tollunt,
Qvas per nubem, & per fulmina penna librat.
Sic Te, Relligione potens, dum nubila ſurgunt,
Juſtitiæ Soli, dum fera bella movent,
Sic prorſus Veri, Te, Numinis, Auſtria, cultrix,
Librat Apoſtolicæ Lucis avitus amor.
Regis Apoſtolici veniet Tibi, CAROLE, Nomen,
Zelator Fidei Tu qvoqve Clarus eris.

Elo-

Elogium VI.

Heus Aqvilæ!
Atri de terra aſcendunt Gigantes:
Solem impugnant Nubila,
Nec advolatis? nec ſuccurritis?
Injurioſam Luci Caliginem
Roſtris & ungvibus avertite,
Alis diſſipate;
Et mox ardent Aqvilarum fulmina,
Ut nebulas incinerent.
Eccleſia
Sancta, Catholica, Apoſtolica
Sola *Sol*, & *Una*;
Hic refulget *Lumen* de *Lumine*
In *ſplendoribus* æternitatis ante *Luciferum genitum*:
Nec umbris oppugnetur?
Et non accendatur Aqvilarum Auſtriacarum Zelus?
Qvas,
Si Natura pro Orbis Regione,
Gratia elegit pro Religione.
Audit PHILIPPUS II.
Auſtriacus Hiſpaniarum Rex, & clangit:
Si eveniret unqvam, ut Filius meus
Ab Eccleſia Vera deficeret,
Ligna, qvibus cremaretur, Ipſe ſubminiſtrarem;
Et ſuccenderet, ut fumoſam infidelitatis tædam
Extingveret. (diaria:
Empyreum ignem ungvibus raperet Ales felicius incen-
Niſi Diviniore flammâ Zelus Fidei arderet in Corde:
Qvô aſcendentia nubila in puram lucem reſolvunt,
Dum cæcutientes ad Religionis Solem tenebriones
Auſtriacæ illuminant Aqvilæ.
Multis ſolenne eſt, acriùs certare pro focis,
Qvàm pro Aris:

Digitized by Google

Auſtriacorum eſt, Aris etiam Regna poſtponere;
Ad Eorum Domum veluti ad Aram, dum fugatur,
Fugit Religio.
Intremus FERDINANDI II. Palatium,
Auguſtum Zeli Sacrarium,
Et vox cælô digna, nec poſthumos celanda, reſonat:
Provincijs, Regnisqve meis renuntiabo libentiùs,
Qvàm ſtudio amplificandæ Fidei:
O! Auſtriaca Amplificatio!
Apoſtolica translatio!
Vox Heroë digna Chriſtianô!
Sed adhuc altiùs evolat:
Malle ſe pane, & aqvâ vitam trahere:
Qvid vilius aqvâ, qvid parabilius pane?
Sed altiùs!
Malle ſe cum Conjuge, ac Liberis.
Solô Scipione inſtructum, ire in exilium:
Malle ſe in fruſta concìdi, ac diſcerpi,
Qvàm injuriam DEO, Eccleſiæqve illatam perferre.
Hoc eſt, qvod inter ætatis noſtræ nubila
Tam Clara reddit Auſtriadûm Diademata.
Thaumaturgi Aqvilarum ſunt Splendores,
Premunt atratam erroribus noctem;
Et dum Solem aſpiciunt jugiter, irradiantur ſemper,
Et Orbem bubonem aut exoculant,
Aut ſalutari Fidei collyriô illuſtrant.
Cum Auſtriaca Aqvila, *Qvæ plumeſcit in nido Eccleſiæ,*
Auguſt: in lib: Conf:
Etiam dum arma per Regiones circumfert,
Domeſtica peregrinatur Religio,
Semper tamen Vaticanæ inſiſtens Petræ.
Evolat etiam inter nubila
ALBERTUS II. Auſtriacus Imperator,
Ut obſcuratô in Domo Leonis Czechici Sole,
A funeſta afflati Anſeris Pyra,
Adhærentem Boëmiæ fuliginem,
Lotis in Viva Apoſtolici Piſcatoris Aqva pennis,

Qvæ unica ſalit in Vitam æternam,
Obnubilatum ſerenet Solem.
Qvod eò præclariùs egit,
Qvò Clarior fuit Sereniſſimis Zeli Chriſtiani radijs;
Ævi luce dignus!
Qvi in Auge, bienniô rerum geſtarum Auguſtâ Luce,
Non unum Sæculum illuſtravit;
Aureô imbre Tres Illi Coronas Regnorum aurora pluit;
Plures pro meridie Imperij paravit;
Dum in Pannoniam Venit, Vidit, Vicit!
Ad ſplendores Ejus etiam Luna expalluit;
Rursúmqve Avitæ Religionis Phœbus ſplendere cæpit.
Principis Optimi mortem funeſtus Cometa præceſſit,
Eandémqve Sol Ipſe atratus in Eclipſi luxit.
Nec hôc tamen fatô
Funeſtatus eſt adeò Eccleſiæ Dies,
Ut longam videret Solis Eclipſim;
Ne Lumen deeſſet indeficiens,
Cœlum terris demiſit
CAROLUM V.
Heroam Aqvilam;
Qvæ
DEO Duce, Zelô comite,
Mari undecies remensô,
Utrumqve pœne Orbem emenſa,
Ea Soli Eccleſiæ dedit argumenta:
Ut vixiſſe CAROLUM gaudeat Univerſa:
Cujus Zelo cùm non ſufficeret Horizon Evropæus,
Orbis Novi qvæſivit hemicyclum,
Imperator Apoſtolicus:
Pro DEO, & Eccleſia,
Factus Evropæus, Aſiaticus, Africanus, Americanus,
Ut Orbis totus eſſet Carolinus.
Sic ubiqve alternô fœdere conſervant
Eccleſia Principem,
Princeps Eccleſiam.

Romanum triumpha Capitolium!
Vaticana exultet Petra!
Totâ Chriſtiani Zeli Ætnâ ardebit
LEOPOLDUS in *CAROLO* Rege *Catholico*,& *Apoſtolico*,
Tutore Eccleſiæ, Imperatore.

Ode VI.

Aqvila pullos ſuos contra Draconem tuetur.

Alluditur ad illud Apoc: 12. v. 17. *Iratus eſt draco (Infidelitas) in Mulierem (Eccleſiam) & v. 14. Datæ ſunt Mulieri alæ duæ Aqvilæ magnæ. Nam qvô tempore Familia Ottomannica in damnum Chriſtianitatis emerſit, eôdem in protectionem, condita eſt Domus Habsburgo-Auſtriaca.*

Qvid tortuoſas conglomeras Draco
Infeſte ſpiras! & revolubili
Caudâ doloſam machinaris
Innocuis Aqvilis ruinam?
Qvid intumeſcit depile toxicô
Livente collum? deſine perfide:
Vanum minaris, qvando fata
Exitium capiti nocenti
Jam deſtinârunt. Noſceris impius,
Depone Larvam, noſceris, hactenus
Mentite vultum Veritatis.
Qvid dubitas? Aqvilæ revelant
Mentem nocendi tam malè prodigam.
O! Spes inanes! an ſimul improbe,
Dum Solis infeſtas amicas,
Bella moves violenta Phæbo?
Phlegræa ridet bella meridians
Titan in Auſtro, qvi Briareïos
Contemnit auſus, Martióſqve
Objicit intrepidus Lacertos.

Per

Per me triſulcas exere, vipera
Calcanda lingvas, exere! fulminans
Ales vibrabo roſtra: lingvas
Retrahe dilanianda peſtis.
Nôſti Ceraſtes, jam qvoties tuos
Auſus nefandos ſubruerim, Jovis
Sublimior terrâ volucris,
Et galeâ radians, & haſtâ.
Nec te juvabunt cornua Cynthiæ,
Nec Thraciorum toxica dogmatum:
His incaleſcens ſi Sacratis
Chriſtiadûm miniteris Aris
Audax ruinam; Vertice aheneô
Criſtata, Zelô digrediar meô,
Et Tela fulminantis inſtar
Fida Jovis metuenda mittam.
Pridem trifurcis Ales inhoſpitum
Calcare plantis condidici probè
Taurum, per obſtantes rigores,
Jonio-Arabiásqve gentes,
Et qvà Corinthus defluit, & mare
Diras procellis lugubrè Caſpium
Deſpumat iras: Auſtriorum
Impulit huc Aqvilinus Ardor;
Arisqve cultus, tum reverentia
Soli Tri-Uni reddita, & improba
Diſcedere errorum caterva,
Et Pietas remeare juſſa:
Sic ſtabit ingens Auſtriacæ Domûs
Nec terminandis Gloria ſæculis,
Ignara Labi, qvam perenni
Relligio Pietate durat.
I Glorioſô tramite, qvô trahit
Virtus Parentum: Sidera, CAROLE,
Tranſcende Victor, & Parentis
Par animis Aqvilina Proles

N Spe-

Specta irreflexô lumine Delij
Inmota Lumen; prævius orbitam
Sulcavit illam ad ſempiternæ
Alma Pater Prytanea laudis.
Virtute Patrum Prima ſtetit Fides,
Tutata Ferrô; Præſidiô Tuô
Durabit; ac per TE perennes
Auſpiciô meliore bellans
Leget Triumphos; Sangvis, & Indoles
Hos ſpondent; ac hinc omine proſperô
Prêndes Coronas, Gloriæqve
Eximijs Titulis vireſces.
Fruſtrà reſiſtet bellua lividô
Dentata rictu. Tramite nobili
Ter Glorioſus pergis; in Te
Relligio rediviva ſtabit.
Qvid ominemur? Progeniem Polo
Gratam, Nepotes, & Diademata
Augebis: ingentes Tuorum
Auguriô præeunte Ceras.

De Zelo Religionis Auſtriacæ Aqvilæ.
Cabalæ:

Excordes Fidei bene Fulmina Vibrat in hoſtes:
537. 33. 52. 306. 392. 49. 343. *Summa* 1712.
Nempe hæc præ Aonidum Flumine Phœbus avet.
140. 17. 190. 334. 310. 415. 306. *Summa* 1712.

CARO-

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA

Fortitudine provolans ad Solem in *LEONE:*

VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS VII.

Inſcriptio Symboli: MagIs æſtV aCCenDItVr.

EXPOSITIO.

Regia gens Aqvilæ, ſunt Regia turma Leones,
Regum, & Regnorum conſociando decus:
Sed magè cur Aqvilæ flagrant ad Signa Leonis?
Qvò magìs Iſte micat, dimicat Illa magìs;
Forte utrumq; genus: *fortem* magìs æmulus ignit
Fervor, fervorem mutuus æſtus alit.

Elogium VII.
Aqvilæ Auſtriacæ cum Leone
Conſortium.

Non bene convenit Aqvilæ cum Leone:
Et ideo optimè conveniunt.
Leone occidente in Aſtris, oritur Aqvila:
Neqveunt convenire in bona ſtella, bonæ Stellæ.
At qvia Pollucis inſtar, & Caſtoris
Alternant in Regia Siderum,
Optima hæc eſt conventio, amica conſtellatio:

Ideo Regnis præfulgent, & Regibus,
Ut figurent, ſin minùs ab aſtris influant, felicitatem.
Ex ungvibus, & pullis dignoſcuntur,
Ut & in pullis regalis emicet indoles.
Viget utrumqve Sidus in inclyto Czechiæ Regno:
Veteribus Aqvila, nobis Leo in Signis prælucet.
Prælucet, inqvam, vel irretortô lumine:
Uterqve baſilicô, & æthereô obtutu.
Et Aqvilæ in hoc climate occaſum, Leonis ortus excepit;
Imò intercepit
Nunc & Leonibus Czechia triumphat, & Aqvilis:
Dum qvotqvot à *FERDINANDO I.* ſuſcipit Reges,
Continuâ Auſtriacorum ſerie tot ſuſcipit Cæſares:
Aqvilas in His meras, meros Leones:
Placet his conſpicui in Auſtriæ Scuto Cruoris Purpura:
Et indè inita Conſangvinitas.
Habet id Purpurata Auſtriadum Domus:
Ab Ipſamet ortum ſumpſiſſe videtur Fortitudine.
Auſtria *Chriſtianitatis Cor, & Clypeus* dicta;
In Adamant'e Auſtriaco.
Cor ſedes, Clypeus tectum eſt Magnanimitatis.
Nè clypeo galea deſit,
Scuto ſuo Gentilitio Galeritas,
Seu Alaudas primitus inſeruit: (nem,
Ad Galeatam, & Decumanam Julij Cæſaris alludens legio-
Qvæ Alaudarum nuncupabatur.
Avolate, licet, volaticæ nomenclaturæ!
Fortiora ſuppetunt, qvibus inſiſtamus.
LEOPOLDUS Virtuoſus
Leopold: II. ſub Clem: III.
Campum expandit Fortitudinis:
Qvi ad Aconem Syriæ, Legionem in robore ſuo
Alaudarum præſetulit,
Jam Romanus facinore, nondum titulô:
Dúmqve hoſtium ubertim pro Fide fudit ſangvinem,
Paratus Suum,

Se

Se totum aſperſô cruore purpuravit, & poſteros:
Niſi qvòd candidum pectus,
Et tegmen balteus integeret;
Indè bicoloribus Campis ceſsêre Alaudæ:
Aqvilæ cum Leonibus ſucceſsêre.
Acie ſuâ Aqvilæ adumbrant Minervam,
Leones robore Bellonam,
Qvàm bellè colludunt!
Utrumqve hoc Numen in unam coaleſcit Palladem.
Deſudet jam Jovis cerebrum, ut Pallas prodeat Auſtriaca:
Aqvilina, & Leonina!
Aqvila rupes incolit (digna his incîdi)
In qvercu reqvieſcit (Sacrata Jovi)
Fulmina bajulat (laurum merita)
In Saxo roſtra acuit (actura Periclem)
Draconibus colluctatur (melioribus nata æmulis)
Vivit triumphis:
Fortiùs, qvò duriùs;
Qvid enim?
Romana eſt.
Romanorum eſt fortia agere, & dura pati.
Hoc idem Auſtriacum: & indè imperant.
Non unus illis Albertus cognomentô *Fortis*:
Qvot Archi-Duces, tot Fortes:
Nec imbellem progenerant Aqvilæ.
A cunis Heroës ſunt,
In faſcijs adhuc Hercules agunt;
(Si tamen unqvam in faſcijs, præter illas,
Qvas Zodiacus Solis ſubminiſtrat)
Et qvidnî? Aqvilini utpote pulli:
Solis molem ferre à teneris didicêre.
Longè terris ampliorem.
En Aqvilæ fœtus Phœbum fert,
Æneas Anchiſem,
Parvus adultum:
O *Non*

Non ſecùs Herois grandia fert Soboles.
Qvàm grandia?
Sphæram Orbis, Pomum Imperij.
Tres primi ab Auſtro Cæſares, Aureæ velut Alaudæ,
Bonis Avibus Auream auſpicantes Poſteris Fortunam:
Sublime, & Sidereum,
Qvia Herculeum, fundavêre Genus;
Qvod deſumpta ab Hercule Symbola declarant.
CAROLUS V. PLUS ULTRA Alcidem progreſſus:
Poſt vindicatam ferrô Germaniam,
Qvem Pontificiô accepit Oraculô,
Maximi, & Fortiſſimi Titulum,
Magnis transſcripſit Nepotibus;
Exemplô I. Cæſaris
(Qvod dediſſet Ipſe, ſi præceſſiſſet)
Venit, Vidit, Vicit!
Qvid, inqvam, Vicit?
Injuriam CAROLI infero Fortitudini,
Plusqvam humanæ:
Non Vicit:
Antiqventur veſtigia Julij:
Veni, inqvit, *Vidi, DEUS Vicit.*
Hic Achilles, hoc Argumentum Fortiſſimi:
Fortitudo mea, & Laus mea Dominus. Exod. 15.
Divina mehercle Auſtriæ Fortitudo!
Jovis nimirum Alites à Jove armantur,
Jovem & amant, & armant.
Ab ungviculis nutriuntur Victorijs:
Dum, velut Achilles Leonum medullâ,
Ità Illæ primùm Matris,
Tum Martis ſangvine victitant:
Pulli ejus lambunt Sangvinem. Job. 39.
Aſſvevit ſangvini Scutum Auſtriacum.
Sed major ejus Fortitudo in ſervando ſuorum cruore,
Qvàm fundendo alieno.

Capi-

Capiant CAROLI, Reges *Franciſcos*,
Sternant *Alberti*, Cæſares *Adolphos*:
Fortitudo hæc Heroica, nondum Auſtriaca.
Hæc Diphthera Carolina:
Malle ſe unum Chriſtianum ſervare,
Qvàm mille barbarorum trucidare.
Carol: V. poſt Tunet: Victor:
Hìc Vir, hìc potior Virtus!
Qvàm qvòd tres Orbis partes Ejus victorijs intremuerint,
Amplitudine decreverint:
Qvòd Orbem vel Nomine impleverit.
Iſtud fortiſſimum: Vicit Fortiſſimum, Seipſum.
Hoc nimirum eſt, *Fortia agere.*
Nec minùs glorioſum: *Dura pati.*
ALBERTUS II. minùs videatur Secundus,
Niſì *Fortuna, viris invida fortibus*, Fortem probâſſet.
E tot ſuorum, minimè ſuorum, inſidijs, & ſeditionibus
Magìs, qvàm è cruore hoſtico,
Titulum *Fortis* eliqvavit.
Invictiſſime Cæſarum: *Tu nè cede malis*,
Ut repetat Maro: *Arma, Virúmqve!*
Adverſæ res ſunt, qvæ declarant Virum;
Epict: apud Arian: lib: 1. c. 44.
Aqvilam fulmina.
Nec mirum eſt, in tranqvillitate non concuti;
Sen: Ep: 66.
Illud mirâre:
Ibi extolli aliqvem, ubi omnes deprimuntur:
Ibi ſtare, ubi omnes jacent.
Iſtud enimverò Auſtriacum!
Qvid metuant? ubi Unus Eorum pro exercitu eſt.
FRIDERICUS Pulcher Imperator
In æmulante conflictu
Ludovici Bavari
Encelados qvosqve, geminos ſimul, & ternos
(Nec Hercules contra duos)
Victrice fundit, & confundit dexterâ;

 Aci-

Aciem ipſam ſuſtinet, & *agit*:
Penè Omnia ſolus, partes omnes FRIDERICUS obit.
P. Melch: Guttw: in Poem:
Tales, ac tanti Auſtriaci!
Contra Eos nec mors prævalet:
Qvam tot cæſis hoſtium placârunt victimis;
Vivunt etiamnum univerſi:
Fortem non frangit mors effera. *Greg: Bruuel.*
Vivunt adhuc, & omnes in uno CAROLO.
Vivit Ille *Virtute Patrum*,
Vivunt Patres Virtute Illius!
Renovâre Aqvila Auſtriaca:
Virtus unita Fortior!
Princeps hic Leonum erit, & Aqvilarum,
Leo, & Aqvila Principum:
Ad Cujus rugitũ, & clangorem adverſa corruent agmina,
Fortia aget, dura feret,
In ipſa Aurora Heſperiæ;
Qvid adulta dabit dies?
Phoſphorum Heſpero ſociabit.
In ipſo Cæſareo buccinabit ortu:

FortItVDo CVM ConſtantIa!

Qvid fiet in meridie?
Orientale Imperium Occidentali conjungetur:
Qvò Biceps Aqvila reſpicit.
O! Alpha Archi-Ducum, Supreme *Carolorum*:
Cum CAROLO I. & M.
Muros hoſtiles precibus dirues,
Saxa exercitibus in aqvas diſtillabis:
Nam *Fortitudo* Tua, *&* *Laus* Tua *Dominus*.
Adſit *MATTHIÆ* Cæſaris Sors & Votum:
Leo ſis robore, mente Aqvila!

Pæan

Pæan Apollineus
Fortitudinis Leopoldinæ Encomiaſticus: Carolinæ præſagus.

Seu

Prodigioſi Triumphi à Leopoldo Magno in Pannonia relati, ab ariete bellico, & cornu Lunæ Ottomannicæ ad Viennam confracto: qvando SERENISSIMI CAROLI Genethliaca, erant Hungarica de Turcis Epinicia.

Annô 1685.

Poëma.

Jámqve Aries funeſta dabat diſcrimina terris:
Hìc Mars armatur ſignis, hìc Martius urget
Prælia, principium faciens, ubi meta furoris
Odryſij ponenda fuit; dum clara Viennæ
Mœnia communi cum Luna Biſtone cornu
Impetit, ut columen Romani ſubruat orbis.
Sed palmæ aſſvetis armatus Apollo ſagittis,
Qvem graphicô paſſim comitatur Syrmate Pæan,
Immiſſam exarmat rabiem, lunaria frangit
Cornua: ſic Aqvilæ, ſic condidicêre Leònes.
Hìc fuit Auſtriaci radix ſinè fine trophæi.
Hæc Clio modulare! humiles qvin ite Camœnæ,
Ite leves ſtellæ, qvando ipſe affulget Apollo.
Vos animi cœlo inſerti, qvi *Sole* patrâſtis
Digna *Duplô*, Muſarum umbris affundite lumen.
Jam ſeſe Auſtriacis, aſpectu turbida, terris
Thracica barbaries infuderat, agmine tantô,
Attonito qvantum vix unqvam conſtitit orbi;
Vel greſſu tremuêre poli, curvata fremebant
Arva, lacertoſæ penè impatientia molis.
Jam minitabundis immania caſtra catervis

P Accele-

Accelerant: clivóqve urbis, vallíqve per orbem
Incubuêre, diem mole eripientia terris:
Dum pulsô fulgere ambit Thrax Cynthia Phœbô.
Obſedêre vias, ſi qvà vel ſvavior auræ
Temperies recipi valeat, vitæve trahendæ
Fautura obſeſſis annona, premente Gradivô:
Ut famis, aut peſtis rabies, cumulúsqve malorum,
Arjetibus tantis qvaſſatam funeret urbem.
Nocte, diéqve inſtant operis: pars valla tuendo
Obducit; pyrijs pars imbribus, atqve procellis
Impulit hoſti ignem, balliſtarúmqve boatu
Præcipitant muros, currenti ut pervia turmæ
Oſtia pandat, iter validæ ruptura phalangi.
Vimineô pars faſce volat, cannâqve paluſtri
Congeſtis refluas undis æqvare lacunas.
Pars furijs agitata ſtygis, fremitúqve cicutæ,
In muros ventoſa ruit: velut impete cœcô
Dum rapitur Caurus: dúmve intentata cavernis
Vox reſilit, nemorúmve jugis impingitur imber.
Pars hoſtili inhians prædæ, pecudúmqve ſaginis
Finitimos populatur agros, terríſqve coæqvat
Adſita tecta, fugâ lapſis viduata colonis.
Pars foſſis intenta ſpecus molitur, & antra,
Qvêis terrámqve cavet, munimentóqve propinqvet.
Primanorum unus, qvem cruda medulla leænæ
Paverat, à teneris nutritum lacte ferinô,
(Barizen trux lingva vocat) necis omine ſpretô,
Debiliore locô fortè ad cava mænia repens
Sulphure confectô tentat glomerare ruinas,
Ut larium vicina leves ejectet in auras:
Suceſſu at torpente cadit rea victima lethi.
Dum tanta Auſtriacis à dextris, atqve ſiniſtris,
A tergo, ante oculos, gravidi diſcrimina belli
Objiciuntur, adeſt terror, fibrásqve coarctat,
Atras finitimis nubes depingit, amaror

Gut-

Guttura deſiccat, cruor in præcordia curſans
Membra gelat, pallent dubijs ſingultibus ora,
Extremámqve putant orbi impendêre ruinam.
Sed caſu qvôcunqve, metu qvôcunqve repreſſô,
Invictus Titanis honor ſe ſe erigit, æthram
Suſpicit: & vanas cenſens adversùs Olympum,
Enceladi licèt, atqve Gygis, ſinè viribus iras,
Firmiùs impetui jubet adverſarier Urbem.
Rugatur polus, irrugit balliſta furore,
Pulvereæ nubes denſantur, ſtringitur enſis,
Ignis in Odryſios vomitur, dat buccina ſignum,
Excurrêre viri; prima hìc confuſio Thracum,
Sangvinis eluvies prima. Aſt hæc fulgetra tantùm:
Fulmina conſpicies. Subitò latus occupat unum
Tevtonibus collecta manus, volat ocyùs Ales
Imperij, Lechicásqve trahit de colle propinqvo
Jam maturantes Aqvilas, aciémqve moventes;
Hinc atqve indè faces pugnæ, tragicíqve cometæ.
Biſtonibus viſi tantos jecêre pavores,
Tantum in corda gelu, ſparſis ut Thracia caſtris,
Attonitis animis, diſcinctô Martis amictu,
Egerit acta fugam; fuga jam dux unica vitæ:
Effugium plantas acuit, timor addidit alas.
Qvà data porta, ruunt: metus exarmaverat omnes.
Qvid faciat Tevto? qvid victor Apollinis enſis?
Qvid Lechicæ turmæ? non congreſſura ſeqvuntur
Agmina, ſed ferrô pavidi cervicibus hoſtis
Incuſſura necem. Nullus ſpectacula Phæbus
Tanta tulit, nullus tam vaſta fluenta cruoris.
Altera pars lævam campi, pars altera dextram
Corripit in lucum; globus hinc fugit, indè phalanges
Se ſe proripiunt: qvæ vos dementia cepit,
(Fervidior ſumptis Elieſes viribus inſit)
Biſtonij Athletæ, qvæ vos dementia cepit?
Siſtite! ſi manes hodie, Ditíſqve petenda

 Atria,

Atria, nè ſaltèm cæſis impunè petantur.
Illa acies, oculis qvæ debellaverat orbem,
Illa acies oblita ſui, cervíſne jugetur,
Aut leporum gregibus? qvantas his viribus oras
Jam nôſtis ceſſiſſe: viros vos eſſe pudebit;
Siſtite! ſed ſurdis canitur. Jam Tevtonis enſis,
Sarmaticis miſtus frameis, putris imbre cruoris
Arva rigat, Scythicíſqve ſerit cervicibus agros.
Effuſus cataclyſmus erat jam ſangvinis: Iſter
Purpureas miratur aqvas: qvid purpura? dixit,
Purpura me fluvijs Regem dare jura notabit;
An magìs Auſtriacos modò conſectabere Campos,
Puniceos niveis undis miſcendo colores?
Hæc ait: & ſolitô deflexit in æqvora curſu.
Principium hìc luctis fuerat, qvas Luna parabat
Soli: ſed qvantò majora pericula, tantò
Altiùs aſſurgens acqvirit gloria pondus.
Hinc raptæ repedare plagæ, remeare dehauſtæ
Urbes, atqve Arces, qvas Delia Biſton ademit.
Depopulata fuit Sarvan, ſuccuſſa Patocki
Mænia, contremuit Titul, ſuppreſſa Dubitza:
Sonna ruit, ſubjecit Onoth ſe Thracibus armis;
Arrava non ultrà valuit, Regétzve tueri
Patria ſigna; levem cum Butzin porrigit herbam
Valpo: qvid faciant? dum flexilis abjicit haſtam
Agria, dum validæ turrita cacumina Budæ
Auratam oſtentant pro belli ſtigmate lunam;
Quid faciant? Evropæis metus incubat arvis.
Sed relevátqve, refértqve diem, lethalibus umbris
Ablatis *Sol Duplus*, abit nocturna pavorum
Turba comes: furor, atq; tremor, qvas ſuſtulit Urbes
Deſerit, & Magni Victoris ſubjicit armis.
Hìc Aries Phryxeus erat, cui vellera dempſit
Herculeum robur. Quisquis dein aurea prenſet
Vellera, in Auſtriacis nôrit fulgere viretis,

Cum

Cum qvibus Heſperios Heros conjunxerat hortos.
Hìc vernos agitare dies Victoria cæpit:
Auctáqve Pannonias dum ſe ſe extendit in oras,
Crevit in immenſum; parit & Sclavonia palmas,
Et latè extentos fert Tranſſylvania ramos:
Dat qvoqve victrices revocata Croatia frondes;
Impigra nec deerat famulari Servia ſertô:
Ipsáqve inumbratur palmari Boſnia fructu;
Unica Palma fuit, qvæ frondibus ambijt orbem,
Nè dicam, implevit; qvæ Cyri vitis ad inſtar,
Mandanes gremiô effuſæ, non effera regna,
Agreſtémve Aſiam, ſed vaſto germine cultam
Terruit Evropam: niſi terror amabilis eſſet.
Una inqvam, non multa fuit: dum ſorte perenni
Continuata, brevi mandavit ſæcula ſcenæ.
Suſtulit indè Agriam; ſed in altum ſuſtulit, aptam
Sideribus jungi. Regalem cominus Albam
Reſpicit; & vidiſſe, fuit viciſſe. Coloczam
Obruit, atqve Siclos; nunqvam feliciùs illa,
Qvàm ruerit, ſteterat. Fideſqve, Sibſqve ſubhaſtat
Nunc Vaciam; recipit Zolnok; modò porigit herbam
Præſidium Vivarini; nunc arma ſupinat
Cernua Cæſareis Vicegradum, & Poſſega, turmis.
O! haſtæ Bellonæ agiles! ô! herba ſalubris!
Qvid geminas Varadini Arces, qvid inanè Caniſcham
Indice tam nudô memorem? dum pangere dignè
Non licet. En! ſeſe Segedinum, en! ingerit Actom
Auſtriacis ultro manibus: ſeu fortiùs illas
In pugnum, ſive in palmam Mars Romule ſtringas.
Qvid Simonthornam, qvid inexpugnabile caſtri
Prodigium Mongatſch audentes cerno? vererer
Promere: Atlanteos tentant ornare (ſed iſto
Muſa metrô reptas, hìc filo cedis, & erras:
Nîl onus Heroi eſt) dic malim: ornare lacertos.
Hem ſinè figmento Atlantem! qvæ brachia Regum,

Qvæ portenta humeris! augeſce ô! nobile pondus.
Eja triumphales, Romana Propago, Coronæ,
Et qvidqvid redimita gerit Bellona trophæi,
Et qvidqvid galeata metunt Epinicia Serti,
In Diadema unum migrate! Heroës in unum
Omnes Heroum commigravêre Gigantem.
Hìc Aqvilarum acies, hìc tota medulla Leonum eſt;
Vel Leopoldini, per ſæcula cuncta, Leonem
Nominis auſpicium referet: modò collige robur!
Velleris hìc Phryxei Aries, Tibi Carole, pulchrùm
Sternitur (Heſperij ſunt hæc inſignia Regis)
Aureáqve in cenſum deponent Vellera. Perge
Porrò Leoninis, Aqvilinis perge qvadrigis!
Sol & eris: perge auſpicijs inſtare Paternis:
Dum Phæbeorum plenè exantlare laborum
Zodiacum detur! Superis Tua Signa coruſcent
A Signis, donec totum illuſtraveris orbem.
Imminue Imperium Lunæ, radióſqve revelle,
Pulsâ nocte, feris vera infer lumina terris:
Ut decreſcat enim Phœbe, vel creſcat: ut abdat
Cornua, vel perdat: Carolino à lumine pendet.

De Fortitudine Auſtriacæ Aqvilæ Cabalæ:

Edomat audentes AQVILARUM Stemma Leones,
190. 445. 611. 256. 210. Summa 1712.
Excelſo confert Fulmina prompta Jovi.
473. 284. 306. 381. 268. Summa 1712.

CARO-

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA
Temperantiâ evolat ad *Solem*
In linea Ecliptica.
VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS VIII.

Inſcriptio Soli: - - - - CVrrIt
ContentVs MeDIô. *Claud: de 4. Conſ: Honor:*
Aqvilæ: VesCItur, at MoDICô.

SUBSCRIPTIO, & EXPOSITIO.

Contentus Mediô: curſum glomerando recurſu,
Nunqvam è Zodiaci limite Phæbus abit.
Sic, licèt alta petat, Mediô ſe continet iſtô
Dux avium, Phœbo facta gemella ſuo;
Veſcitur, at Modicô:* tenui Jovis armiger herbâ
Victitat, & ſtabili Sole cibata viget.
Hæc Genus Habsburgi: nunqvam licèt infima ſpernat,
Summa gerat; Medium Sobrietate tenet.
Æſtibus in Solis nullô unqvam fluctuat æſtu:
Temperiem ſuperæ Nobilitatis habet.

* *Jovis Aqvila, ſic dicta, herbis vivit.*

Elogium VIII.

A *Linea Ecliptica*, *Via* Solis, & *Regia*,
Sol, Lucis Orbita, non exorbitat:
Nec excedit, nec deficit, etiam dum deficit,
- - *Medium* non deſerit unqvam. *Emmar: Theſaur:*
Si dici poteſt
Sol flammarum Oceanus,

 Inter

Inter geminos Tropicos, ùt Littora, ſe continet,
Zonis ſemper præcinctus;
Nec tamen Torrida, nec Frigida intemperant
Indeflexam Solis Temperiem:
Qvam à Cælo ſereno combibit PULLUS AQVILINUS
A *Jove* cognominatus, *Picinel: l. 4. c. 8.*
Dum ſub auroram rore, modicô liqvore,
Et herbis paſcitur virentibus
In Spem Solis propediem orituri:
Deinceps
Non epulis ſaturare famem, non fontibus ullis
Aſſvetus prohibere ſitim: ſed purior illum
Solis fervor alit - -
Idem ibid: ex Claudian:
Digna Ales,
Qvæ perpetim in cælo fulgeat ad *Æqvatorem*,
Ob *Modicum* in *Medio.*
In Virtutum Cælo
MEDIUM
Ut Sol occupat *Temperantia*, nunqvam excentrica;
Ab Hac AQVILÆ ſunt *Terreſtres*, & *Cæleſtes*
In *Modico*, & *Medio*,
ARCHI-DUCES HABSBURGO-AUSTRIACI.
Reduco Siparium:
Mecænates Domi, Martes Belli,
Majeſtate Auguſti, Clementiâ Conſtantini,
Famâ Honorij, Geſtis Caroli Magni,
Qvanta Nomina!
Sunt Lycurgi, & Pericles Abſtinentiâ,
Frugalitate Platones, & Socrates,
Sobrietate Julij, & Epaminondæ:
Tantæ ſunt *Temperantiæ*!
Qvos
Ad faſtigiata cum Aqvilis Gloriæ culmina
Pediſeqvus Virtutum Honor evexit citra faſtum,
A *Solis Via* non aberrant, *excentrici* nunqvam,

In

In *Medio* ſemper:
Cum *Jovis* Aqvila veſcuntur *Modicô.*
RUDOLPHO I. in ferculum Regale rapa agreſtis,
ALBERTO I. & II. in prandium cæna ſufficiebat:
Extra hanc nunqvam bibebant,
Intrà eam vini modicum aqvâ temperabant,
Semper Sereniſſimi:
FRIDERICUS IV. aurâ, & Sole vivere,
Ex Aqvila fieri Avis Paradiſiaca cupiebat.
Optâſſet, Sibi præceptum: *Nè comedas*; *Gen: 2. 17.*
Maluit Uxorem ſterilem, qvàm Vinoſam.
MAXIMILIANUS I.
Imperator Maximus,
Patris Pacifici Filius, Avi Ferrei Nepos,
Cæſar Aureus,
Princeps Temperantiſſimus,
Pro Cupedijs hôc ſatiabatur Oraculô:
Menſuram tene, & reſpice;
Uſqve ad vitæ exceſſum exceſſit nunqvam.
CAROLUS V.
Ad uncias, in Orbiculo libellæ,
Propè dimenſus eſt cibum,
Orbem toties emenſus!
Ità abſtinendo ſe vicit, Qvi utrumqve vicit Orbem.
Nec plura de *Modico*:
In Orbita *Temperantiæ* circumagitur Auſtriacus Orbis,
Cum Orbe *Aqvilæ* exorbitant nunqvam:
In hoc Virtutis Cardinalis cardine vertitur
Domus Auſtriaca, nunqvam evertenda.
Abſtinentia, Sobrietas, Pudicitia, (qvæ
Temperantiæ Habsburgicæ aut ſunt prodromæ, aut pediſe-
Ter auſpicata Regia, cui hæc Virtutum Trias famulatur.
Habet qvidem Hæc etiam Hercules, & Ulyſſes,
Non tamen Polyphagos, nec Pamphagos.
Nemo hìc Parthus, nemo Marcus Antonius,

Non Tiberius, Biberius:
Non Nero, merô madidus.
Auſtriaci ſunt *JOVIS AQVILÆ*:
Solis fervor alit.
SERENISSIME CAROLE:
Narratur & Priſci Catonis *Horat: l. 3. Carm:*
Sæpe merô caluiſſe Virtus. *De Catone minor.*
Sic virtus in vitium, à Catone abijt Cato,
A Majore minor:
Et Julius Cæſar factus Cenſor
Anti-Gatonibus
Geminis Libris, unâ libellâ
In Exceſſu defectum ponderavit,
Et inventus eſt Minor, Temperantiæ *minùs habens*,
Cùm ultra *Medium*, & *Modicum* plus haberet.
Non ſic degenerant *Jovis Alites*:
LEOPOLDINI etiam Pulli, *inediâ Veſtrâ*
Plin: l. 10. c. 3.
Lunam pallere feciſtis Ottomannicam;
Et dum
Natis in uſum lætitiæ Scyphis
Pugnare Thracum eſt: *Horat:*
Certô Experimentô, an miraculô?
Solâ Aqvâ Thracicum merum in ſangvinem vertiſtis,
Dum Lymphâ Lymphaticam à pallore Lunam
Erubeſcere toties feciſtis.
Hic Cardo Portam repreſſit;
Dúmqve unicum adhuc in Pannonia habet
Gradum Belgradum,
Bellatura SERENITATIS TUÆ Temperantia
A Belis Faciet planè retrogadam.
Ungariæ Regibus,
Qvod, & plura Summæ Moderationis Principi
Ipſe Phœbus geniali metrô præſagit.

Ode

Ode VII.

Blandæ Mnemoſynes Pignora blandula,
Qvæ plectrô Auſtriadûm perpete Sydera
Auguſtè canitis, Chromaticis breves
Phonaſcis datè ferias!
Vox omnis tacitô gutture diffluat,
Ori pnevmaticas tollite tibias,
Vates Threïcij carminis artifex
Dum criſpat ſua barbita.
Audiſtiſne Deæ? pulsat eburneam
Phœbus Vatidicô pollicè nerviam,
Et blandô recreat jam modulamine,
Qvà latè patet, Auſtrius,
Orbem; dulcifluis carmen amabile
Nervis qvadruplicat; Muſicus avia
Accentus nemora, & luſtra feraria
Demulcet reſonabili
Metrô. Hinc Armenicis ſtat Leo ſaltibus
Excitus, rabiem dentibus aſperam
Phœbææ citharæ gratia mitigat;
Irarum indomitas aper
Componit ſcapulas; Marmaricis propè
Terris ad modulos Pardalis advolat,
Ac urſum Calabris de regionibus
Pacant Nablia Cynthij.
En! ad molle melos nobilis Alitum
Regina aureolis advolat ocyùs
Pennis, & radijs candida Delij
Phœbi delicium capit.
Mulcetur placidè pectine garrulô
Titanis; fidibus temperat Auſtrias
Connexis Aqvilas, qvæ Medium tenent
Comis fronte ſupercilî.
Tam celſas Volucres Filia gratiæ,

R 2 Prin-

Princeps Imperij, congregat Auſtria!
Et qveîs ultra Abylas Heſperias datum eſt,
Metáſqve Herculeas, levi
Pennas remigiô laurigeras licet
Per cœli medium tollere, qvæ tamen
Hærent in Medio, non violabili
Votô ſemper amabiles.
Nôrunt, Sacrilegâ lege licentiæ,
Qvî ludat patrijs perfida Regibus
Fortuna: Hæ ſimiles ſunt ſibi proſperâ,
Adversâqve potentiâ
Sortis; Qvàm variet cerea lubricæ
Semper Biga Deæ, non ſtabili rotâ
Elatos ſolitæ flectere vertices,
Jam dudum bene conſcia:
Non effertur, amat Sidereis Domus
Qvamvìs Laureolis Summa, Modeſtiæ
Vallem: nam Auſtriacis Alitibus datum eſt,
Scandant Eſſeda qvamlibèt,
Extolli minimè; hinc candida civium
Lucrantur faciles pectora, Principum
Felices cumulant fœdera, Gloriæ
Augmentant Diademata.
Seû conſtans tumidæ ventilet ægida
Bellonæ rabies, ſeû ſua Jupiter
Atrox arma vibret, ſub labaro poli
Tuti ſtant: *Moderatio*
Infractam Auſtriacæ Progeniem Domûs
In Saxum ſolidat; vis adamantina
Conſervat trabeas, qvæ toties erant
Hoſtis Sangvine Nobiles;
Majorum hinc Series dives honoribus
Orbem nobilitat, Magnificum jubar
In tot ſceptrigeris Principibus nitet,
Lucet pulchra *Serenitas*.

Non-

Non unqvam tamen hæc, celſior omnibus,
Inflatur tumidis Gloria purpuris
Siſtens in Medio: tanta Modeſtia
Eſt Heroibus Auſtrijs!
Non Hos Tevtonici qvadra Vitellii,
Nec turgens Thyadũ, aut amphora Mænadũ,
Nec turbat Patrij Sigma tricongii
Aſſvetos Medio Duces;
Nunqvam pes Bromij Patris in amphora
Heroi Auſtriaco lubricus hæſitat,
Tela Habsburgiacos nec Cythereïa
Nôrunt tangere Principes.
Novit Sobrietas nobilis hoſpita,
Morúmqve integritas, atqve Modeſtia,
Majeſtas placidô cincta choragiô
Nôrunt Auſtriadûm Domum:
Qvævis ingreditur, nec pavidô gradu,
Qvamvìs Regia ſint hìc penetralia,
Virtutum: facili ſed Moderatio
Cultu præſidet omnibus.
Hæres Auſtriacæ, CAROLE, Gloriæ,
Orbis Delicium: non Aqvilæ vias
Deflectis Patrias, tramite perpetim
Virtutum mediô volas.
Hinc in Te Charites omnibus imperant,
Nulli non placidè: ſubdita ſic rapis
In Te corda, Cor ut ſubdita TE ſuum
Credant, Illáqve TU Tuum.
Hinc Magnetica Vis diceris Inclytæ
Stirpis, qvæ trahet & Sceptra Bohemiæ,
Junctis Heſperiæ, & Pannoniæ Thronis,
Orbem qvin trahet integrum;
Pomúmqve Imperij dum ſimul attrahes,
Pacis Palladium figere noveris:
Nî fors, qvalem Aqvilæ Temperie metunt,
Belli Laurea Te vocet.

S Ter

Ter Fauſtis Aqvilis Imperio feres
Labenti auxilium: TE Duce, Caucaſo
Stabit par; Oleas magnificis vehes
Bigis Pacis Haruſpicas;
Et nutu facilis dum geminum Tuis
Subſternes Trabeis, fauſtior Hercule,
Orbem, ac Oceanum: Temperie audies:
SEMPER VICTOR amabilis.
Seu pacem revehas, ſic Mediator es;
Seu pacis medium prælia detones,
Punctum Cæſarea tangis in orbita;
Virtus in medio emicat.

De TEMPERANTIA Auſtriacæ AQVILÆ Cabalæ:

TEMPERIES AQVILÆ mortalem frenat Orexim,
384. 306. 316. 232. 474. *Summa 1712.*
Et TRINO ſolùm vivere SOLE petit.
105. 179. 390. 499. 165. 374. *Summa 1712.*

CARO-

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA

Provolat *Prudentiâ* ad Solem in *Meridie:*

VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS IX.

Subſcriptio: AD soLIVM hoC AqVILæ!
PLenæ hIC sVnt LVMIne seDes.

EXPOSITIO.

Semper amat Solem, vaſtóq; reqvirit in Orbe,
  At magìs in *Media* Stirps Aqvilina *Die.*
Nempe dies *media* eſt numerô *bis* prædita *ſextô*:
  Hunc Aqvilæ captant, hunc in amore tenent.
Hic numerus *Phœbi* eſt: indè añuus, indè diurnus,
  Zodiaco, ac horis ponit uterqve modum.
Hôc *plenô* numerô, hâc plenâ PRUDENTIA Luce
  Signatur: nullâ limpiditate carens.
Bis Sexta exoriens LEOPOLDO CAROLE Proles,
  Bis Sextum pariter * Nominis omen habes.
Electô * *bis Sexta dies* TE CAROLE plaudet:
  Bis Sextus, ſolij primulus annus erit. * *12. Octob: Elect: Imp:*
Plenũ agitas numerũ: Tua ſed PRUDENTIA longè
  Plenior eſt numeri ſorte: *Merúsqve dies*!

* *Carolus juxta Cabalam* 444.
Qvi numerus ità poſitus 4.
4.
4.
Facit 12.

Elogium IX.

Auſtriacarum Aqvilarum Ortus in jugi Meridie, in perpetua Auge Providentiæ, & Sapientiæ.

Solium Solis, meridies eſt:
Ibi Celſiſſimus intitulatur, & Sereniſſimus.
Si tamen meridiari in throno poteſt,
Qvi omnia, & omnibus proſpicit
Mundi oculus.
Nec enim umbras tum amat lucis comites,
Qvietis Duces,
Dum Celſior orbi præſidet.
Tales ſunt oculi ſceptris inſerti:
Reſpiciunt, diſpiciunt, proſpiciunt,
Præcedentia, præſentia, imminentia.
Si ulla; Auſtriacorum ſceptra ità ſunt oculata:
Argos referunt centoculos.
Odit umbras Prudentiæ meridies,
Velum tamen amat
Myſteriorum, Secretorum, Conſiliorum.
Duplici paſſim Providentia gaudet lumine,
Sed clausô alterô in Myſterijs, apertô alterô in Oraculis:
Luminari alterô diei patente, alterô noctis latente.
Ità collimant ad ſcopum, qvem tenent, Habsburgici:
Alterum cum ſagittarijs oculum claudunt,
Ut meliùs tangant.
Unus eſt diei ocellus,
Una Auſtriæ pupula,
Mundum diſpiciens ſemper, deſpiciens nunqvam.
Imò minimè pupula:
Ab ortu adultum eſt nacta meridiem,
Laudibus provehitur uſqve ad Solem.
Hôc ultra Solem:

Qvòd

Qvòd aut nunqvam orta videatur
Aſtræa hæc Sereniſſima,
Aut nunqvam paſſura occaſum:
Ità in perpetuo eſt meridie,
Luce meridianâ clarior.
Imò & in Auge:
Dum conſtanter obtinet Solſtitium Imperij,
Et gubernantis Prudentiæ.
Solſtitium, inqvam, æſtivum,
Cum diei, & æſtûs pondere, cum luminis plenitudine.
Regredieris CAROLE Auguſtiſſimus!
Solſtitiale Sidus provocabit;
Cæſarei Menſes conſeqventur:
Julius cum Leone, Auguſtus cum Virgine;
Illud Aſtrum Boëmia, Iſtud Hungaria ſuggeret.
Regredieris ad Auſtrum, ſive Meridiem!
Ardebunt Te Aqvilæ meridiantem:
Aderit meridies, dum vel orieris ab Heſperia.
Cujus numerum *Ter qvartum*,
CAROLIQVE *commenſuratum* Nomini,
Et Hora, & Dies Electionis,
Et Annus in calculum vocabit.
Hora erit, ut Aqvilam capias,
(Qvanqvam magìs in Illa ad coronas captaberis)
Qvæ nunc extra meridiei æqvilibrium clangit:
Nondum venit hora mea. *Joan. 2. 4.*
In Te plenum naſcetur Evropæ lumen,
Tecum meridiabimur.
Habent id Auſtriaci Principes:
Poſteri ſunt Prædeceſſorum Epitome.
Illorum ſinguli lumen edidêre ſuum:
Tu plenô gaudebis Tuô, & Tuorum.
Amat hoc Prudentia:
Exemplis illa acuitur, & Hiſtorijs.
Hæc Tua ab ungviculis:

T Qvi

Qvi *Virtuti Patrum* inſiſtis, & plenitudini.
Suſpexit Auſtria ALBERTOS II. *Sapientes*,
MAXIMILIANOS II. *Omnilingves*,
RUDOLPHOS II. *Acres*:
Tu Secundæ hujus Triados Synopſis,
In omnibus eris *Ter Secundus.*
Niſi qvòd Primatum tenebis,
Qvem ſemper Auſtriaci:
In Providentia, & Sapientia,
Muſis, & Pallade.
Nec LEOPOLDO I. nec JOSEPHO I.
Futurus poſterior,
Numerum licèt Senum obtinueris:
Qvandoqvidem meridies lucis primordiô non erit inferior.
Providentia Auſtriaca
Acrior eſt Aqvilâ, Apolline Sapientior;
Qvantâ Minervâ Regna peperit, & conſervavit!
Qvô Lydiô hoſtes, & amicos probavit!
Qvâ amuſſi æqvum, & iniqvum diſcrevit!
Qvâ dioptrâ proſpera, & adverſa diſpexit!
Qvâ libellâ Majeſtati Clementiam miſcuit!
Miraculum eſt Prudentiæ!
Sed qvid ego meridiei facem adjicio?
Miraculum eſſet,
Niſi hìc non rarum, at qvotidianum.
Qvis immenſas perveſtiget Virtutes Patrum?
Menſuram tamen in cunctis obſervantes,
Qvibus Prudentia Sol eſt, & Archi-Dux?
Ad numeros ſuos Muſas redigit *ALBERTUS*;
Sed anguſtias patitur, qvòd Novenariô ſtringantur:
Tibi omnes Domeſticæ.
Micro-coſmum Gentium
Omnilingvis agit *MAXIMILIANUS*,
Et lingvas pro radijs cum Sole ſpargit;
Tu Evropam loqveris.

RU-

RUDOLPHUS Salomon Boëmiæ prædicatur,
Nec Sabæi deſunt admiratores;
Tu Imperiô naſcente Neſtoream ſpirabis peritiam.
Aqvila vires in præda tollenda priùs explorat:
Qvid valeant humeri, qvid ferre recuſet?
Nè deploret perditas, imploret alienas:
Librat, & evolat.
Conſilium Herodoti jungens Induſtriæ:
Aggredere tardus agenda, aggreſſus age conſtans. *Herod. l. 7.*
Hæc Tua prima Diphthera Prudentiæ Coronandæ,
Sol ab ortu Sereniſſime,
In Auge eris Auguſtiſſimus
CAROLUS VI.
Cum *SIGISMUNDO II.* Archi-Duce
Inter Leonem, & Libràm Phœbum ages:
Fortiter intendens, ſed perpendens;
Libras, & evolas:
Aciei Martiæ aciem Aqvilinam,
Enſi Sceptrum oculatum ſocians,
Fortitudini Prudentiam.
Nunqvam Sol fortior, qvàm in meridie:
Nunqvam Soligena, Jovis armigera, tutior.
Extendes has geminas alas, *Aqvila magnarum Alarum;* *Ezech: 17.*
Sub umbra Alarum Tuarum meridiari licebit; *Pſal: 16.*
Et conqvieſcere.
Imò Sol oriens, in ortum proſpicies,
Et pulsâ Lunari caligine,
Illuc etiam Auſtrum, & meridiem protendes:
Fortitudine, & Conſtantiâ.
Carolinis Solibus affulge Pater Luminum!
Stat pari procedere paſſu
Æſtuantem hunc meridiem, & merum diem:
Fortem, & Conſtantem:
Ut Lux ejus, ſit lux Firmamenti,

 Lux

Lux perpetua ! Votum eſt unum omnium:
At extra Miſſam;
Cum meridie nunqvam Umbras videat
Occasûs Comites.

Ode VIII.

Aqvilinæ Providentiæ Literatus Character:

Seu FRIDERICI IV., & RUDOLPHI II. Cæſarum Symbolicum Dictamen literis A. E. I. O. V. Et ADSIT conſignatum.

A Domino Salus In Tribulatione.
Auſtriæ Eſt Imperare Orbi Univerſo.

Cadmi nigellæ cedite Filiæ,
Mutæ papyri cedite Tulliæ:
Aurata qvantumvìs ſagacis
Sepia Vos, Aqvilæ, notaret:
Non eſtis altis apta volatibus
Putris Minervæ pulla cadavera:
Non eſtis aularum Camillæ,
Sed ſteriles trabeis lituræ.
Nè tange Pallas pallida Regias,
Tædet vel Ipſas tangere Palladem:
Non aſteriſcis hìc, ſed Aſtris,
Aureus in Solio character
Eſt exarandus. Talia ſtupeus
Effudit Arcas, qvò placeat Midæ
Auræ, vel auri: nè Camillæ
Pieridum, Sobolésqve Phœbi
Referte greſſum, nè trepidâ fugam
Captate plantâ: Vos decus unicum,
Vos gemma Regnorum, atqve Regum,
Vos Populi moderamen eſtis.

Decet,

Decet, Minervam ut parturiant Joves,
Ut qvi Caput ſunt, ſint cerebri locus:
Qvi tesqva, qvi campos gubernant,
Plùs hominum juga, plùs ſeipſos
Frænare nôrint. Literulæ docent.
Ite ad RUDOLPHOS, qvos Patriæ Joves
Bohema compellare tellus
Svevit, ibi reqviem legetis,
Ibi favores. Pacificas qvoqve
Ad FRIDERICI tendite purpuras:
Vos Ille gazis ponderabit,
Vos reluet xenijs Darij.
Licèt ſonetis teſſerulas leves,
Prudentiæ eſtis norma, Scientiæ
Forma: omne vobis Vaticana
Bibliotheca refert volumen.
Tandem teretis Cæſareos lares,
Qveîs floreatis plùs, thymiamate
Qvàm plaudat aut Hybla, aut Hymettus,
Penſilis aut Babylonis hortus.
Ibi erigetis pectora Nymphulæ,
Vatem induentes: *A Domino Salus*
In Turbine affulget; notate
ADSIT, acuti apices notate!
Prudentia hæc eſt Cælica Principum,
Rebus nefaſtis fauſta parœmia:
Fiduciæ innixam ſupernæ
A Domino tribui *ſalutem.*
Vocaliores pingite lingulæ
Spem FRIDERICI Cæſaris: *Auſtria*
Eſt Imperare Orbi Univerſo;
Sic poſitum, placitúmqve cœlo eſt.
Spopondit æqvus Jupiter Auſtriæ:
Huîc finis expers Imperium dabo;
Sic, teſte, Romanis, Marone,
Cæſaribus modulatur Axis.

Sic *FRIDERICI* teſſera perſonat,
Vocalium auſpex: qvæ *TIBI, CAROLE*,
Binâ IO! Vocali recantat,
Tres in AVE redigens, ſalutat.
Ah! Erue Iſtis Omina Vocibus,
Ac Edoma Illis Omnia Viribus,
Qvas æthra, qvas *Virtus* fecundat!
Rurſus AVE, vel IO! canemus.
Sint fuſca plebes literæ, at Aulicæ
Sunt Regiarum: Literulæ placent.
Et Literæ jam, & Literati,
Et comitatus Apollo Muſis,
Dum SEXTE terras *CAROLE* proteges,
Sacrari amabunt Cæſareâ manu,
Altéqve amari. Túte Pindum,
Tu tenues trutinas Camœnas:
Scientiarum Tu baſis omnium,
Lingvarum amuſſis: non opus eſt Tibi
Audire ſubjectas per aures,
Ore alijs famulante fari,
Qvod Qvintus in Se *CAROLUS* arguit;
Plùs Noſter ultrà! non populi modò
Sed Literatorum Monarcha eſt,
Eſt Stephanoma Scientiarum.

De PRUDENTIA Auſtriacæ AQVILÆ Cabalæ:

Sidereis ſi plena Oculis *Prudentia* ſplendet,
292. 225. 372. 499. 324. *Summa 1712.*
Solarem Hanc *AQVILAM ſuggerit Ezechiel.
276. 52. 331. 498. 555. *Summa 1712.*

* *Plenam oculis Ezech: 1, 18.*

CARO.

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA
Evolat *Juſtitiâ* ad Solem
In *Æqvatore*, & *Libra.*

VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS X.

Inſcriptio Soli: NoCtes æqVIs CoMpenſo DIebVs.
Aqvilæ: LaVros, & fVLMIna DICtat.

SUBSCRIPTIO, & EXPOSITIO.

Dum Sol Juſtitiâ noctésqve, diésqve coæqvat,
Atqve Æqvatoris linea tacta micat:
Tum properate Duces pennati ſeminis: æqvũ
Ut diſcernatis, diſcite ad hocce jubar.
Indè *Aries* fulget, (qvando æqvi-noctia librat
Arbiter Aſtrorum Phœbus) & indè *Libra.*
Fert Aries *reprobis* bellum, fert vellera *rectis*
Aurea; cæleſtis Libra *cuiqve ſuum.* (nant;
Hinc terræ autumnant, hinc ſubdita climata ver-
Juſtitiâ florent, fructificántqve Throni.
Auſtria Juſtitiam ſiqvidem florere dediſti,
Te Jus efflorens fructificare dabit.
Flore, & Fructifica, juſtæ inſtans, Carole, cauſæ!
Qvi cum Sideribus ſingula facta libras.

Elogium X.

Jam Orbis credit DEUM vivere in Auſtriacis,
Dum teſſerariam DEI virtutem
JUSTITIAM,
Orbe non ſemel exulem,
In Auſtriaco Cœlo admiratur Domeſticam.
Inter litigioſa mundi nubila,
In alarum æqvipondio pendet Aqvila,
Et nè oculorum Tyndarides obliqventur,
Geminos rectè in Unam librat Aſtræam;
Et Libram invenit in Æqvatore.
Hic Sol Inqvilinus Juſtitiæ Libellam
Accurat ad Æqvitatis decempedam.
Principes etiam Auſtriaci
Qvidqvid pro DEO, Patria, Populo deliberant,
Faciunt ad Libram;
Qvibus Pars Hæreditatis eſt Juſtitia:
Aliena pro ſuis habent, ut ſervent;
Sua pro alienis, ut diſtribuant;
Dant animum DEO, homini operam:
Cuiqve qvod ſuum eſt, Sibi nihil;
Nocent nemini, proſunt omnibus.
Æqvâ Ferdinandeæ *Juſtitiæ*, & *Pietatis* Bilance,
Juſtâ *Conſilij*, & *Induſtriæ* Leopoldinæ ſtaterâ,
Accuratâ *Amoris*, & *Timoris* Josephini libellâ,
Æqvô pondere momentant omnia, ponderant ſingula.
Neqve mellis ſvavitas præponderat,
Neqve aculei ſeveritas excedit.
Familiares omnibus, ſingulares nulli,
Æqvè miſeros audiunt, ac felices.
Sive cauſas Religionis, ſive negotia Majeſtatis,
Sive Qviritum poſtulata, ſive ſupplicantium Codicillos,
Togata, aut ſagata tractet Aqvila Auſtriaca,
Mentis

by Google

Mentis Magnæ oculis diſpicit omnia,
Minimè abortiva ſacratioris Aſtrææ filia.
Nempe Themis, firmóqve nitens Prudentia tectô,
Auſtriacos illuſtrat Avos, ornátqve Nepotes;
Qvid æqvius, qvàm DEO dare, qvod DEI eſt?
Hic Juſtitia aſſurgit par ipſi Cælo,
Ubi Auſtriacô ſeſe attollit ſubſelliô.
Vernant Faſces venuſtiùs,
Dum in DEUM geruntur æqviùs.
Habet Numas Suos Auſtria,
Qvorum nomina à Poſteris adoranda leget æqva poſteritas,
Qvæ Aris ſunt inciſa:
Si dati, & accepti rationes penſaverit ad libellam,
Stupebit: qvid egerit pro DEO hæreditaria Pietas.
Qvot Baſilica Religionis ſtant documenta!
Ad Memnonij delubri invidiam,
Qvæ Auſtriacæ in Superos Magnificentiæ ſunt Encomia;
At ſinamus tantiſper Religionis Baſilicas,
Dum Sereniſſimum cuivis patet Æqvitatis Sacrarium:
In hoc Areopago qvisqvis umbram qværit,
Solem ex Æqvatore centimanus deturbare contendit.
Procul ab hac Ara Superſtitio illa exulat,
Qvæ cœco reſpectui in vanum litat.
Nulla virtus, qvæ non deceat Principem,
Nulla, qvæ non ornet;
Sola Juſtitia Principes facit:
Hæc eſt, qvâ purpura à centone ſecernitur;
Sinè qva nè Jupiter qvidem rectè imperare valet.
Juſtitia Orbis eſt Cynoſura:
Auſtria Areopagitarum eſt Regula;
Politico Morali ſunt Synonyma:
Principem obtinere *Auſtriacum*,
Et Principem nanciſci *Juſtum*;
Auſtralium Signorum Prima eſt Aſtræa,
Auſtriadum Princeps virtus eſt Juſtitia.

Nunqvam tulit Orbis majora,
Qvàm ab Auſtriacis Juſtitiæ documenta.
RUDOLPHUS I.
Juſtitiæ cultor, rigidi Servator honeſti,
Æqvitatis Tutor, & Reſtitutor, ſeverus Juſtitiæ Adminiſtrator
Audijt ab Imperij tuba.
Nunqvam in hoſtem ſtrinxit bipennem,
Niſi conſuluiſſet Æqvitatis Bilancem.
ALBERTUS II.
Qvi unô Juſtitiæ oculô in Hungariæ,
Alterô vigilavit in Bohemiæ Regno:
Ut promptiùs
Debitas Æqvitati partiretur vigilias,
Pro Imperio
Tertium in votis habebat Oculum.
Per Juſtitiam firmari Solium
MAXIMILIANI II. eſt Oraculum.
Maxima hæc Aqvila
Nominis ſui auſpicium magnitudine ſuâ adæqvavit,
Qvando librata in Auſtriaco Areopago
Maxima rerum momenta
Ad Æqvatoris lucem bene digeſta,
Æqviſſimè ſemper coronavit:
Pluribus, qvàm tribus Dignus Coronis,
Qvas necdum exactô unô annô, exactis Imperiô
Omnibus Imperij hoſtibus,
Non eripuit, ſed accepit.
Fallitur, qvi geminô Polô autumat orbem rotari;
Tribus digitis appendit Orbem,
Appendit in ſtatera Juſtiſſimus DEUS;
Miraris Auſtriacos utroqve glorioſos ſtare in Orbe?
Et Orbem pendêre ab Auſtriacis?
Sunt in Æqvatore,
Eorúmqve eſt Characteriſtica:
Honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuiqve tribuere.
Etiam inæqvalia Patriæ membra, Pupilli, Juſtitiæ pupilla,
Æqva-

Æqvalem reperiunt ſedem in Auſtriaca Juſtitiæ Libra.
Unde non habet, qvod metuat Auſtriæ,
Et Aſtrææ Domus,
Ultores injuſtitiæ Rhadamantos,
Nec ultrices injuriæ Nemeſes;
Auſtriadûm Aqvilæ nidificant ad Æqvatorem:
Hinc nunqvam Eas gens ulla impunè laceſſit.
Sol omnibus æqvè:
Auſtriadûm Aqvila nulli vult iniqvè;
Auſtriacæ Clementiæ pulchrô fœdere Juſtitiam maritavit
Aut Natura, aut Religio.
Jura, Fides ubi nunc? *Ovidius.*
Auſtria, Auſtriorum Regia, Regum Auguſtale,
Eſt Illa,
Qvæ ad Judicum Aras Aſtræam revocavit ab Aſtris,
Qvando legum jura, injurijs temporum collapſa,
Novis legibus erexit.
Has æqva poſteritas lege in
CAROLO V. Maximo:
Non Illô melior qvisqvam, nec amantior æqvi;
Ovid. l. 1, Metam:
Hinc *amatus* ab omnibus unus,
Et *intaminatis fulſit honoribus*, *Horatius.*
(Qvos æqva Themis cingit in Coronas)
Qvia Unus erat omnibus,
Omnibus omnia,
Ab Oriente ad Occidentem
Metiebatur ſingula, æqvabat omnia.
Nempe
Æqvale omnibus caput tenet Cæleſtis Aqvila,
Ubiqve æqva, nullibi non in Æqvatore.
Si lubet, cœcutiens Livor, Solem conſule.
Qvod ſtupuit ſubinde Orbis Unus
ALbertI perpenDICVLVM; *Symbolum.*
Hoc Orbis uterqve admirabitur
X 2 In

In
CAROLO
Magni LEOPOLDI Filio:
Æqva dignoſcet.
Triumphabis CAROLE *Cultor Sanctiſſime legum,* *Mart.*
Tuæ ſunt ab Aſtræa faſciæ, & Faſces Auſtriaci.
Qvisqvis hactenus ad Regni Tribunal ivit Auſtriacus,
Ivit aureus,
De auro tamen decerpens nihil:
Judex honeſtum prætulit Utili. *Horatius.*
Hoc *Carolino* nomini addit pondus, addit pretium.
Novit, qvid moneant leges, qvid Curia mandet, *Juvenalis.*
Nec munera curat; *Virgilius.*
Suum cuiqve tribuit.
Et miraris Heſperia, qvòd Suum petat?
Aqvila in Æqvatore Triumphat.
Non ſinè augurio:
In Juſtitia règnabit Rex.
Inſcribe Fama Turribus:
Et erit opus Juſtitiæ Pax.
Et Salus, & Pax niveis reviſet
Oppida Bigis.

Epos.

Juſtitiâ firmatur Solium Auſtriacum.

Qvò Tua Te Virtus? Tua qvò Domus Auſtria tandem
Immenſum protendit iter? nónne Inclyta pridem
Te rapuit terris, celsóqve æqvavit Olympo
Juſtitiæ Præſes? ſic eſt: famulantur honores
Virtuti, meritísqve comes fortuna Qvadrigis
Æqva Aſtræophilam fulgentibus invehit aſtris.
Qvin poſtqvam redijt cælis Aſtræa, reliqvit
RUDOLPHO librare ſuâ æqvi pondera lance,

To-

Totáqve Poſteritas per tot jam ſæcula tutè
Commiſſam tenet; hinc Juſti pietáſqve, fidéſqve,
Dos Regum Auſtriacis cognata Heroibus: indè
Tam placidè Archi-Ducum Ter amœna renidet in Ore
Majeſtas, meritíſqve ſuos diſpenſat amores,
Et pœnas ſociata Themi: Hæc juſtiſſima Natis
Imperium ſinè fine vehit, venerandáqve dextris
Sceptra tulit, Faſces auxit; Diademata Regum
Multiplicata dedit; ſic mundi fœdera conſtant;
Terra colit Divos: placidam qvòd flentibus aram,
Et miſeris tutum ſtatuant peramanter asylum.
Hoc Aqvilis natura dedit, qvas Auſtria gignit,
Stratos erigere, & preſſos genialibus Alis
Vel recreare ſupinatos, vel ad Aſtra levare;
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.
Eſt ſuus Auſtriacis Aqvilis amor; indè favores:
Eſt qvoqve Juſtitiæ pulchrum decus! indè rigores:
Hinc temerè in Themidem graſſantes fulmine ſternunt:
Indè parant meritis lauros; in utrumqve paratæ.
Rarò Regum aliàs ſimul unâ Sede morantur
Majeſtas, & Amor: tamen almô fœdere ſeſe
Junxêre Auſtriacis; qvô Regnis Regna maritant,
Et Superos, hominéſqve trahunt; disjecta procellis
Belli Regna, ſuis tot jam celebrata Triumphis,
Summittunt Sceptris, diſtorta mucronibus æqvant.
Hoc Rhodanus, Scaldis, Rhenus, Garumna ſuſurris,
Eridanúſqve, & Arar, tumidus qvoqve Moſa procellis
Teſtantur, qvi grande caput ſubſternere docti
Auſtriacis Aqvilis, qveîs æqvus militat æther.
Et qvoties Bellona ſuô Lunatica faſtu,
Fortunæ fidens temere, deriſerat arma
Cæſaris Auſtriaci! cui pòſt Rhamnuſia riſum
In lacrymas vertit, ſannîſqve immiſcuit ignes,
Ut jaceat raptis miſerùm lacerata Triumphis.
Juſtis confiſæ cauſis per tela, per ignes
Laurigeræ volitant, per ſtrata cadavera pennis

T   Palmi-

Palmiferis Aqvilæ, cantantibus omen alaudis,
Deſpiciunt hoſtes, & qvas ſublimè volantes
Vidimus, has pulchris ſeqvitur Victoria ſignis.
Auſtria ſtat, nutare neqvit, qvam Libra retentat;
Utqve polis fultus geminis Adamantinus Orbis
Stat, Libræ geminô ſic ſtat polus Auſtrius Orbe.
Stat Domus Auſtriadum ſtanti ſe libret uterqve
Æqvè Orbis: dedit Hæc cælo, dedit Iſta Gradivo,
Et Muſis, cunctíſqve dedit mortalibus æqvum.
Eſt Themis obſtetrix, qvando naſcuntur in Orbem
Archi-Duces: Tanta hinc portenta ſtupeſcit
Juſtitiæ, dum mox Majoribus Æmula ab Ortu
Cogitur admirans tellus ſpectare Nepotum.
Vix vidit CAROLUM, Superi! qvàm CAROLUS inqvit,
Arbiter æqvus erit: dextrâ complexus utrumqve
Oceanum, Rhodopen tranſcendet, Juráqve Mundo
Solis ab occaſu, Solis dictabit ad Ortum:
Sic Themis Auſtriacis deſignat Sceptra Coronis.
Sic Aſtræa, procul terreſtri nuper ab Orbe
Pulſa, redux cælò, revocatáqve rurſus ab Aſtris
Juſtitiâ Auſtriadûm, cupidéqve domeſtica facta:
Méqve, meámqve, inqvit, ſervat Domus Iſta Stateram.

De JUSTITIA Auſtriacæ AQVILÆ Alitis Cæſarei Cabalæ:

JUSTITIÆ Hic Princeps *Phœbeô* tramite gaudet:
523. 20. 347. 180. 325. 317. — Summa 1712.
Contendet *Rectâ Juſtus* ad Aſtra *Viâ.*
347. 189. 689. 5. 272. 210. — Summa 1712.

CARO.

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA

Provolat *Comitate*, & *Clementiâ*
Ad Solem in Ortu:

VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS XI.

Subſcriptio Symboli: CLeMens arrIDet pVrpVra soLIs.

EXPOSITIO.

Gratius eſt nunqvam lumen, qvàm Solis in Ortu:
Dum placidus leni dexteritate micat.
Adventantem avium mox turba canora ſalutat:
Tunc rebus pretium redditur, atqve nitor.
Nec Summæ volucrum Titania lumina, qvando
Æſtuat, arrident: lenis Apollo places.
Non ſecùs Auſtriacæ addictas Clementia gentes
Stirpi innata magìs colligat, atqve magìs.
Carole, qvam vultu præfers, affabilis illa
Gratia, prompta ſuo corda catenat hero.
Sic *Patrum Virtute* volas, Sol imò reſurges:
Qvi non jam populi Dux, ſed amoris eris.
Nomine cor geſtas, geſtas hanc Carole laudem:
Inſimul hinc Aqvilis corda, jugúmqve rapis.

Elogium XI.

An Aqvilæ Habsburgicæ ab Ortu ſuo,
A Sole ſuo plus Majeſtatis participent, qvàm Comitatis?
Paradoxum Apollineum.

Sol eſt mundi Cor:
Fovet, & favet,
Vivificat, & lætificat univerſa.
Sed minor æſtus, major Amor:
Gratior eſt, dum lenior, qvàm dum plenior.
In Ortu jam maturus, non tamen gravis:
Non eſt in eo *omne principium grave.*
Miſcet lenitati Majeſtatem:
Roſcidus indè, & roſeus ad gratiam,
Dum oritur, occidua qvæqve,
Et nocte ſepulta reſuſcitat.
Rores aſpergit floribus, Calorem indit coloribus,
Opem operis, lucem lucis;
Animam animatis, & inanimis,
Hoſpes amœniſſimus.
Si Cor eſt, qvidnî ametur?
Citra Majeſtatis diſpendium.
Et Auſtria Habsburgica Cor Chriſtianitatis eſt,
Per qvam reſpirat, cum qva conſpirat
Evropæ Vita.
Amoris & Illa Sedes: qvia Clementiæ;
Oceanus luminis: dum Majeſtatis.
Hìc *in una Sede morantur Majeſtas, & Amor*:
Enimverò præter morem, more tamen maximè receptô,
Præeſt Populis, communicatâ cælitus poteſtate:
Sed trahit pronos, non ſupinos, innatâ lenitate.
Biceps Ejus Aqvila non captat muſcas, plena Gravitatis:
Sed ſupportat etiam trochilos, abundans Comitate.

Præ-

Prædam in altum effert victrici ungve,
Cum Magnificentia:
Sed alijs partitur alitibus, cum Munificentia.
Ad Solem Regales probat partus, cum Majeſtate:
Sed fovet etiam ſangvine, cum Svavitate.
Auſtriadum hunc Orientem
Caput gentium dicerem, niſi Cor eſſe mallet:
Amat amari.
Cum Sole paſſim noſcitur, dum naſcitur,
Clementiſſimus audire mavult, qvàm Auguſtiſſimus;
Alter titulus poplites ſuccutit uſqve ad ſolum:
Alter corda erigit uſqve ad ſolium.
Divinius licèt qvidpiam habeat, & ultra humanum,
Mavult tamen haberi Humaniſſimus.
Indè primum Boëmis dedit Regem
RUDOLPHUM III. Mitem;
Indè primum Hiſpanis *PHILIPPUM*,
Alterum Titum,
Delicias generis humani indigitatum.
Prodeunt ab hoc Clementiæ ortu
Non æſtuante, ſed relaxante,
HENRICI Manſveti, *GUILIELMI Aulici*,
FRIDERICI Liberales, *ALBERTI Affabiles*;
Ambiguúmqve mundo faciunt:
An Domus hæc Invictiſſima ſit
A devincendo, an à devinciendo?
An Majeſtate plùs regnet, an Clementiâ?
RUDOLPHI I. Virtutem non iterare,
A Virtute foret recedere.
Etiam Soles redeunt, nec moleſti;
Saltèm in ortu: qvi ab Ipſo eſt.
Principùm fuit Clementiſſimus,
Et Princeps Clementiæ; (nem.
Facilis ad remiſſionem, ſi reluctantes faciles ad demiſſio-
Qvem nè pœniteret unqvam deliqviſſe per Clementiam,
Nunqvam in illam deliqvit.

Z *Pend*

Penè oblitum Majeſtatis reddebat Humanitas.
Czerw: Piet: Auſtr: l. 1. c. 24.
Etiam irâ commotus ſpirabat Manſvetudinem.
Clementiâ, & Comitate morum infra Auguſtum;
Imò ſupra:
Cùm maximè Principes demiſſione ſui emineant.
Joan: Buſſeres in Floſc: Hiſt:
Tremere ad Majeſtatem, nec mutire
Imperij Principes, Regúmqve Legati.
Ipſe verò trepidationem feſtivô excitare ſale, aut ſopire;
Cujus tantum habuit,
Qvantum Evropæ condiendæ ſufficeret ad Sapientiam.
Felicitate Auguſto, Bonitate Trajano,
Pietate Antonio, Frugalitate Curio,
Integritate Fabritio, Fortitudine Horatio
Comparandus meritò Heros, & Cæſar,
Joan: Fugger in Spec: Honor: Dom: Auſtr:
Niſi foret incomparabilis.
Qvalis radix, talis ſtirps, tales ſurculi,
Talis Arbor Genealogica.
Expreſſerat ſeditioſa ſuorum Tiſiphone
Ab ALBERTO obſidionem,
Obſidio geminas ſuperinduxit jugulo Erynnes:
Famem, & enſem.
Diſcrimen præſentiſſimum extorſit pœnitudinem:
Illa vel coacta veniam non expreſſit, ſed elicuit.
Oculatis ad propria commoda oculos adjecit
FERDINANDUS I.
Ab Argo, vel Gygis anulo mutuatos;
Nec minuta eſt, aut mutilata pygmæa Fidelitas,
Qvin beneficijs crevit in Enceladum.
Rus imbelle, & refractarium
In FERDINANDI II. offendit Clementiam,
Trochilus in Aqvilam:
Sed obviantis ad inſtar;
Obviare Ille malo voluit, literâ, promiſſis, Charite,
Cùm valeret, ferrô, minis, & Marte.

Et

Et qvæ rea agebatur, læſa petebatur,
Advocata facta eſt, pro Judice, Clementia.
Ità cùm ſummi ſint Archi-Duces,
Non abhorrent ab infimis;
Hâc ſibi dote conciliant Regna in dotem,
Dum Orientes agunt leniſſimos, Aqvilas ſupportantes.
Reſpirium proliciunt, non ſuſpiria.
Sacra hìc omnia, non ſaxa:
Inter ſacrum tamen, & ſaxum, relinqvitur Paradoxum:
An Auſtriaca Majeſtas altior, an Comitas demiſſior?
Sed non opus cum Jano priora reſpicere.
Eſt hodiedum in CAROLO Clementiſſimo,
Ad qvod præcurrentia longè ſecula redeant.
Stat Ille pro Eccleſia, CLEMENTE XI. præſidente;
Duos nacti ſumus Clementes, ſub uno Nomine.
Natura, Virtus, Gratia,
In Eo conſpiravêre ad Comitatem.
Affabilis omnibus, magnes eſt omnium.
Imis etiam ſe ſe inclinat;
Si ullus tamen apud Ipſum imus eſt:
Hinc omnes habet profundiſſimè inclinatôs.
Sinum etiam egenis aperit, qvibus dudum Cor;
Dextram & ijs porrigit, qvi veſtigia deſvaviantur.
Facili aure, & oculô hilari:
Qvibus capitur, & capit pectora;
Hôc unô durior, qvòd corda auferat,
Dum ſubjecta qvæqve in prædicatum erumpunt:
Archi-Dux Noſter Sereniſſime!
Neſcio, qvô pactô, magìs eos commovet: *Noſter*,
Qvàm *Sereniſſime.*
Penè dixerim, qvod vix ſentire auſim:
Majeſtas Auſtriaca, ùt ùt tanta,
Palmam defert Comitati:
Ipſi præplacet Majeſtati terminus *Noſtri*,
Titulô *Auguſtiſſimi.*

 Qvid

Qvid ità?
Deniqve hìc ſumma eſt Encomiorum:
CAROLUS Eſt totus *Cor* & *Laus.*

Ode IX.

Acroama Hæreditariæ Auſtriacorum

Comitati, cum Sole, & Aqvilis ima qvoqve dignantis.

RUDOLPHUS I. IMPERATOR,
In magno populi concurſu, dum tenuioris fortunæ homuli ad ſe affectantes à ſatellitio arcerentur, edixit dignam RUDOLPHO ſententiam:
Sinite homines ad me venire: Non enim ideo ad Imperium creatus ſum, ut in arcula includar.

Commovet viles etiam cicutas,
Excit agreſtem pariter camænam
Prona Majeſtas, & ineruditas
Cernere Muſas.
Ceſſet elatum reſonare Pindus,
Aulicos ponat modulos Thalia;
Ravidum qvidam lubet auſpicari
Panos avenâ.
Ludit admiſsâ mihi Comitate
Blanda Majeſtas, Dryadésqve prenſat
Auſtriæ Campis, patulúsqve ruri
Ridet Apollo.
Jupiter cinctus numerô Deorum,
Non polô tantùm reſidet, ſed arvis:
Hìc ſibi conſtans variat ſerenis
Protea formis.
Purior Solis radius nec unum
Culmen illuſtrat, rutilásve gazas:
Lumen & valli placidum miniſtrat,
Atqve mapali.

Ali-

Alitum Princeps ſpeculatur axem,
Eminens auras vegetat, vel aulas:
At petit crebrò vel humi locatæ
Clangere prædæ.
Hoc *Rudolphinum* decus, hoc perenne
Auſtriæ Nomen: pia Lenitati
Miſta Majeſtas, nova qvæ Monarchis
Sceptra ſupinet.
Forſan affatum rogitare vulgus
Cæſaris blandi foribus gregatim
Inſtitit; viſum rigidô repellit
More ſatelles.
Ille,qvem Cyclas radioſa veſtit,
Ille, qvem fœti gravidant honores,
Plebe cingatur? procul à Tonante,
Tityre, tanto.
Id videns, cunctis genitus Monarcha,
Qvi ſuis & rus radijs ſerenat,
Non probat faſtum famulæ cohortis:
Vulgus amœnat.
His datus, cælô cumulante, Cæſar,
Qvin Patrem memet morer, atqve Regem:
Hi meum Sceptrum, Capitíſqve membra,
Providus infit.
Nunqvid Auratâ capiemur arcâ?
Nónne claudetur rutilis Darij
Scrinijs Cæſar? gemetátqve turba
Indiga Noſtri?
Ecqvà nos extra populos relegant?
Qvis datum nobis alienat orbem?
Si coli par eſt, placidi colamur,
Plùs ut amemur.
Hic enimverò graphicus character,
Qvô ſuos Princeps trahit, atqve ſignat;
Cuncta qvô vincis, & amore terras
Carole ſtringis.

Blanda Majeſtas populum beâſti,
Stando Perſonis, modicíſqve cauſis:
Dum Pares omnes Tibi ſunt, & omnes,
MAXIME, Grandes.

De MAJESTATE, & CLEMENTIA
Auſtriacorum Cæſarum

Cabalæ:

Eſt Sacra MAJESTAS Auguſti nota Monarchæ
105. 175. 326. 607. 191. 218. *Summa 1712.*
Perbene: Sed Populos confovet una CHARIS.
197. 99. 530. 454. 241. 191. *Summa 1712.*

CARO-

CAROLUS
ARCHI-DUX
AQVILA
Provolat *Conſtantiâ*, & *Felicitate*
Ad Solem in *Occaſu*:

VIRTUTE PATRUM.

NUMERUS XII.

Inſcriptio Symboli: Perſtat In oCCIDVVM
VoLVCrIs pIa tenDere soLeM.

SUBSCRIPTIO, & EXPOSITIO.

Magni pendo dies, Soles ſinè nube ſerenos
  Æſtimo: ſed rara eſt tota ſerena dies.
Magni duco Aqvilas, qvas nulla cacumina tardãt,
  Fulgetra non terrent: Solis adurget amor.
Sed qvòd in occasũ Phæbi ad ſpectacula perſtãt,
  Hoc amo: *Conſtantes* reddere nôſſe vices.
Magna *Patrum Virtus*, qvam rectô, CAROLE, calle
  Provehis! Illa AQVILAS, Illa volare facit;
Qvantascunqve tamen *Conſtantia* ſola coronat;
  Hoc agis: hinc *Patribus* Tu Stephanoma dabis.
Conſtanti Virtute colis qvia ſidera *Princeps*,
  Hæc TE conſtanti *Proſperitate* beent.

 Elo-

Elogium XII.

Aqvilæ Auſtriacæ CONSTANTIA

Ad mobilem uſqve Solis OCCASUM immobilis, ex Sereniſſimis Patrum Umbris, Occidentem indefeſsè Comitantibus, lumen affundit Perpetuæ VIRTUTIS, & FELICITATIS.

Grandes inter Umbras volitamus
Soligena Ales!
Sed *Umbras* inter *Sereniſſimas*,
Et Solibus prognatas:
Inter Umbrarum Titanes,
At totidem Soles.
Cadunt magnæ de montibus Umbræ, *Virgil.*
Soli Heſperiam viſenti cernuæ;
Imò aſſurgunt
Heſperiæ Grandes:
Hoc mirum, non rarum!
In Campos etiam umbras cadere,
Ipsásqve caſu oriri, & ſurgere:
Cùm verò Campi Auſtriæ non giganteſcant montibus,
Grandeſcant tamen Umbris,
Non in opacum Corpus,
Sed in Solis genus refundentur
Titanes Clariſſimi.
Aſſurgunt illi refrigerio Tuo
In PATRUM SEMITA flagrantiſſimè æſtuans
Aqviline Pulle CAROLE;
Aſſurrecturi & ſplendori TUO
ARCHI-DUX SERENISSIME:
Qvi non in Heſperia occaſum reperturus,
Verùm magnis Umbris genitus
Ab Heſperia es oriturus.
TU etiam è Tantis Umbris lucem eliqvas

Meri-

Meridianâ Auguſtiorem:
Dum ſplendoribus Divorum,
Virtute Patrum omnigenâ effulges,
Fulgorem Virtutibus CONSTANTIA adjicis.
Non radiat Virtus ad beatitatem,
Qvæ non radiat uſqve ad *Occaſum*,
uſqve ad umbras:
Si qvem Virtus occaſum habere poteſt,
Si qvid umbroſi?
At Etiam *Mulier amicta Sole*, *Apoc: 12. 1.*
Stabilis Virtutis virile ectypon,
Non redimîtur *Coronâ ſtellarum duodecim*,
Niſì *Inconſtantiâ Lunari* proculcatâ:
Luna ſub pedibus Ejus.
Virtutum omnium Coronis,
Et Corona eſt CONSTANTIA.
Hanc TU Majoribus Coronatis imponis:
Ibi incipiens, ubi Illi deſiêre;
Qvantus aſſurges!
ortitudine, & Conſtantiâ.
Lucem dediſti Umbris emicantibus,
Vitam Majoribus reddidiſti:
Qvos IPSE Majores in TE efficies,
SOL Umbras.
Qvid, inqvam, Umbras?
Nunqvam occiduas *fertur ad umbras* *Sen: Herc: Oet:*
Inclyta Virtus;
Vivite FORTES! at unde?
FORTITUDINE, & *CONSTANTIA CAROLINA.*
Virtus ex alta mortalia deſpicit Arce; *Claud: de Mall: Theod:*
Eſt immortalis, licèt in mortalibus:
Recludens immeritis mori cælum. *Sil: Ital: lib: 4.*
Eſt Aqvilina: Renovat juventam.
Vivet in TE Vita, CAROLE, omnium;

B b RUDOL-

RUDOLPHI I. *Mens neſcia flecti*:
Qvi Auſtriacis primus in Campis provolavit ùt Aqvila.
Vigebit FERDINANDI I.
Animus imperterritus:
Qvi bicipiti primus Imperij Aliti Leonem Boëmum,
Nobile par feliciter ſociavit.
Florebit *plùs ultrà* in TE
CAROLI V. Vultu gravitas immota ſerenô:
Qvi primus Heſperijs intulit Turribus
Auſonij Jovis Armigeras.
Neqve TE ſententia vertet:
Eris INVICTISSIMUS.
Juſtum, & tenacem propoſiti ALBERTUM I.
Non civium ardor prava jubentium: Horat:
(Aqvilæ inter turbines evolant)
Terret;
Fortunæ ſubdere colla neſcium
FRIDERICUM III.
Non vultus inſtantium æmulorum Mente qvatit:
Aqvilæ vel umbrâ ſuâ cuniculos fugant;
Aqvilinam FERDINANDI II.
In tot tempeſtatibus *Laurum* Symb.
Nec fulminantis magna Jovis manus:
Sic ſunt Auſtriaci orbis Atlantes!
Si fractus illabatur Orbis,
(Qvod nunqvam tanta ſinent Orbis Columina)
Impavidos ferient ruinæ.
Auſtriacæ nempe Lauri, & Palmæ *folium non defluet*: Pſal: 1.
Et omnia, qvæcunqve faciet, ſemper proſperabuntur.
VIRTUTE Sidera firmant,
A Sideribus firmantur FELICITATE:
Utrobiqve eſt Firmamentum,
Qvia utrinqve ſtellæ fixæ.
Virtus hæc cælica Divos habet faventes;
Neſciunt fortunæ dare terga:

Ideo

Ideo *vultu* eos arridet *Fortuna ſerenô.*
Qvid enim? *Virtus ſola beatos efficit.* *Sil: l. 4.*
Felix in terris Sapiens, & in æthere felix. *Cato.*
Triumphate MAXIMILIANI Sapientes!
Fortibus eſt fortuna viris data: *Ennius l. 7.*
Plaudite ALBERTI *Fortes*!
Felix ſorte Tuâ es; *Martial: l. 7. Ep: 1.*
Vivite MATTHIÆ *Felicitatis* conſortes!
Felix qvi potuit boni
Fontem viſere lucidum: *Boët: l. 2.*
Perennate ad fontem lucis, Aqvilæ!
Ex hoc fonte Vobis omnia ad votum fluent,
Omnium in Vos Vota confluent,
Etiam Illa in CAROLUM:

ConCorDaVIMVs.

Lemma Aqvilæ ab Elect: oblata.

Habetis nempe in gazophylacio ſanè Regali,
Utpote * *Admirandorum Naturæ*,
Et abſolutiſſima Artis Epitome,
* *Lambecius Comm: de Bibl: Cæſ: Vien:*
Plùs qvàm Cæſareum cimelion,
Annulum fabrefactum ex auro,
A SSS. Tribus Regibus Regi Regum oblato,
Cujus in ambiguis eventibus
Signa conſulitis pro Delphis.
Hôc, fortaſſe Cleopatræ, unione,
Minimè prodigô, niſi prodigiorum,
Virtuti Veſtræ FELICITATEM ſubarrhâſtis:
Gerentes ſphæram Orbis, regitis Fortunæ Orbitam:
Utrâqve provehimini.
Magnum eſt, qvòd ad Occaſum uſqve CONSTANTIA;
Majus eſt, qvòd ab Occaſu ipſo: FELICITATE.
Sidera,
Qvæ motu *communi* cælorum, indies Occaſum petunt,
Ut reſurgant:

 Motu

Motu *propriô*, ſeu menſtruô, ſeu annuô,
Ab occaſu in ortum tendere; ſunt qvi contendunt.
Sic erit Ortus Tuus
Auguſta CAROLI SERENITAS:
Cum Magnis Luminaribus.
Luminare minus eſt Fortuna, ceterà mutabilis:
At lumen à Sole percipit, *Virtute immobili*:
Ità *Fortunæ faber eſt qvilibet ipſe ſuæ.*
Fulge hôc gemellô jubare:
Perge hâc geminâ Orbitâ,
Provola hâc duplici alâ,
Aqviline CAROLE!
Divis Auſpicibus,
Sidere ſecundô,
Alite dexterâ!
Non jam ùt Pullus, ſed Armiger Summi Jovis.
Inter VIRTUTES PATRUM
Affulgebit pariter Virtus *Patris Luminum*,
Etiam inter Umbras:
Lucem habitans inacceſſibilem; 1. Tim: 6.
Ut non modò in Marte, & Martio,
Aqvilinis cum ſignis,
Sed in toto Zodiaco ſigna referas,
Et Feſtum juge celebres:
Perpetuæ Felicitatis!
7. Martij Feſtum SS. Perp: & Felicit.

Ode X.

Perſpicacior Uranie Nodum diſſolvit
Gordium, & Aqvilinum, de Qvadratura Circuli: dum In Auſtriacæ CONSTANTIÆ Orbita FELICITATEM parem Conſpicatur.

Cum Polo Phœbus roſeis qvadrigis Boët l. 2. Metr: 3.
Lucem ſpargere cœperit:

Pallet

Pallet albentes hebetata vultus
Flammis ſtella prementibus.
Stella ſis qvanqvam radioſa Pindi *Boet: l. 2. metr: 3.*
Fulgente Uranie lyrâ:
Stilla ſed lucis, tumulata multô
Diſparebis Apolline.
Qvotqvot Auſtrales Aqvilina Campos
Heroum Agmina pervolant:
Tot novos Soles reor in coruſco
Figi corde volucrium.
Nempe qvod lumen meditatur æthram,
Viſu Luminis arbitrô:
Muſa idem lumen meditata, pingis
Lumen luminis ectypon.
Indè tot Soles: & ubi vacabis,
Obſcuris oreris metris.
Fac age, obſcurum ſocia ſerenio:
Nodum diſcute Gordium.
Non Alexandri refrica ſariſſas,
Sphingis ſpreveris Oedipos;
Sunt Alexandri pariter ſub Auſtro,
Sunt in ſtemmate diphtheræ.
Hoc probrum Muſis! peracuta Pallas
Mentes torqvet Olympicas:
Qvæ qveat *Qvadrum* ſimilare *Sphæra*,
Penſans alterum in altero?
Principes ambæ coëunt Figuræ,
Certat *Cubica Sphærica*:
Ut ſua æqvari paritate poſſint,
Nondum hoc ſcibile noſcitur.
O! nimis ſocors, nimiúmqve lenta
Muſarum veterum manus!
Auſtriæ terris Aqvilinus iſtud
Dudum Cynthius eruit.
Forma *Virtutis* ſimilata *Qvadro*
Hanc exædificat Domum:
Cc Sphæ-

Sphæra *Fortunæ*, peramica tantæ
Eſt annexa *Potentiæ.*
Neſcias ſanè, potiórne ſurgat
VIRTUS Auſtriadûm *Throni*:
An magìs ſtirpem ſuâ *Sors* ſecundet,
Largi Nuncia Numinis?
Ambigas, utrùm ſociale QVADRUM,
Cui CONSTANTIA præſidet:
An GLOBUS major, potiórqve SPHÆRA,
In qva PROSPERITAS viget?
Tanta *Virtutis* ſpecies, ut amplam
Orbis repleat *Orbitam*!
Firmitas ſortis, reqviéſqve tanta,
Ut *Qvadri* inſtar adhæreat!
En *Qvadraturam*, faciémqve *Sphæræ*
Commenſam Uranie ſtupes:
Sic polus *miſcet Qvadra cum Rotundis*,
Sed nævi ſinè ſtigmate.
Senties Ambas, referes Utramqve
Pulchrô, *CAROLE*, fœdere:
Redde *Conſtantem* bona Sors *Monarcham*,
Et *Conſtantia Proſperum.*
Sic ſolum *PRINCEPS* ſoliúmqve verſa,
Ut *Conſtantia* jubilet:
Sic *Ducem* cæli, regiménqve volvent,
Ut *Sors* plenior emicet.

De CONSTANTIA, & FELICITATE Auſtriaca.
Cabalæ:

Regalem Auſtriadûm firmat CONSTANTIA Dotem,
148. 715. 226. 434. 189. *Summa* 1712.
Tranqvillâ Imperium PROSPERITATE beat.
541. 423. 640. 108. *Summa* 1712.

Paſs

PARS II.

SERENISSIMUS

CAROLUS III.

REX

Hiſpaniarum Catholicus

AQVILA

VIRTUTE PATRUM.

PERIOCHA
Partis Secundæ.

Hactenus ARCHI-DUCEM Solis ſublimè petentem,
Auſtriadûm *Virtute Patrum*, radióſqve ferentem,
Atqve inconnivis oculis ſatis uſqve probatam
Habsburga de Stirpe AQVILAM, cantare Camænis
Dulce fuit: fluxit CAROLINO à Nomine nectar.
Nunc JOVIS AUGUSTI juſſu, PHOEBOQUE favente
(O! AQVILAM qvid erat Charam dimittere! cœpit
Undas Danubij lacrymis augere Vienna)
Occidui Solis CAROLI (proh fata!) *Secundi*
Zodiacum Sibi pro *Solio*, cælíqve *Coronam*
Heſperij petiiſſe canent, penetrâſséqve, qvidqvid
Seû Neptunus aqvis obſiſteret, Æolus Evris
Qvidqvid certaret, ſeû qvidqvid uterqve furoris
Impete tentarent, vincente per aëra, & Æqvor
Remigiô, nec laſſatô ſuperâiſſe volatu:
Nolentésqve Sibi ſubmittere culmina *Turres*
Fulmineis proſtrâſſe globis, *Calpénqve* ſub ungves
Abripuiſſe ſuos, *Barcellonæqve* febrile
Si fors frigus erat foviſſe, aut ſi fuit æſtus,
Alarum placidâ gratùm texiſſe ſub umbra:
Victricésqve & ab His, & qvam *Leo Flandricus*, & qvam
Inſubriæ ſerpens, Adriæqve Napæa *Neâplis*,
Sardiniæqve Liguſtica, tum *Balearica* Duplex
Incinxit Capiri, Lauri retuliſſe *Coronas*:
Qvámq; CHARIS (non Una, Triplâ qvin pulchrior Una)
Virtutum Panchrus CAROLO *Se* nexuit *Ipsâ*;
Et *SOLEM* poſthàc: Fatis dum nempe *JOSEPHUS*
Occubuit, viduata gemens ſimul Auſtria *PHOEBI*,
Imperiúmqve ſimul ſuſpiravêre Recentis
Exortus! Aqvilæqve relictô protinus Auſtrô
Regalem Hungariæ, Czechiæq;, atqve Archi-Ducalem
Purpuram, in Heſperiam fauſtô clangore tulerunt,
Indè ut in Auroram *CAROLO* ſerviret, & Ortum
Jam *SOLI*: Tot *EI* dum *Regna* in *Sidera* migrant.
Iſta canent, inqvam. Radios da *PHOEBE* faventes!

NU-

NUMERUS I.

CAROLUS III.

AQVILA

A *Solibus* Auſtriæ ad *Solium*,
Et *Coronas* Heſperiæ provolat.

ELOGIUM I.

Dies Ter auſpicata!
Sidera in Lingvas abeunt,
Cælum inter Phœnomena vaticinatur;
Omen Ter Felix!
Unô contentus æther Lucis Numine
* *Ternô* radians *Sole*,

* *Anno 1517. Carolo V. adeunte Monarchiam Hiſpaniæ, & Ferdinandô Fratre Belgium gubernante, tres in cælo viſi Soles.*

Diem ante Idus Januarias dignum æternitate,
Et Portentoſum reddit *Annum M. D. X V I I.*
In qvo oritur CAROLUS I. Heſperiæ;
Dein V. Imperator:
Dum Sol Se ipsô Auguſtior,
Qvia Triplex *Primum* illuſtrat;
Et Ternam Uni præſagit Coronam
Vatidicum Germaniæ cælum.
Nempe futurorũ præſcium, ſiderum Triplicat Principem:
Prognoſten agens Trini in Uno Regis,
Caſtiliæ, Aragoniæ, Neapolis:
Aut, ſi mavis, Ter oculatum Vatem Monarchæ
In Hiſpania, India, Romano-Germanico Imperio.
Habet Sol & in *oculis* peregrinas oras,
Et Patriam in *Corde*;

Nec unus Orbis arctabit Coronas CAROLI,
Sceptris, ùt radijs, in alterum pertinget:
Occidentem illuſtrabit, cùm fulſerit Orienti,
Illum reſpiciet, cùm iſtum inſpiciet.
Sic Imperio CAROLINO præluxit *Trias* luminum,
Ut FERDINANDUM CAROLI V.
Fratrem ſimul irradiârit,
Cùm Eidem Famæ, Fortunæ, Gloriæq; Appiam ſemitam
In aditu Regnorum
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ
Præmonſtravit.
Ità nempe nec Erro Planeta aberravit,
Dum ſe Unum pinxit Trinum,
Et Cuiqve Fratrum prognoſticè Diademata triplicavit.
Annô M. D. CC. III.
Diem veterem inſtaurat nova SERENITAS
CAROLUS ARCHI-DUX Auſtriæ:
Qvem Acephala Heſperiæ Regna dum ſuſpirant Caput,
Eiſqve Auſtriacus APOLLO
Sceptrum in Caduceum porrigit,
In Auſtriæ Cælo collucent
LEOPOLDUS
Sole Duplô,
Et JOSEPHUS I.
Triplex in Duplo, & Uno Phœbus,
Hic Germaniæ, & Hungariæ *Regum* Coronis,
Ille *Cæſarum* Laurô coronatus.
Huc Vaticinatrix Aſtronomia! huc Auſpex!
An ad Coronas progredietur *CAROLUS*?
An à Solibus ad Solia provolabit?
Augurium ex *AQVILÆ* volatu,
Veritatis claritatem volo ex *SOLIBUS*:
An *ARCHI-DUCI*,
Qvod CAROLO V.?
An, qvod FERDINANDO I.?

An

An, qvod Utriqve *Imperatori*, & *Regi* portendunt?
Nec Sybillam, nec Delphos accedite:
Auſtriacus obſcuritatem horret meridies,
Soles in Apogæo umbram averſantur.
Et en Portentum!
Ab occaſu CAROLI II. in Heſperia,
In *DUPLO* Germaniæ *SOLE*
Imperij, & Regnorum conjunctione
Geminus refulſit Cæſar, & Rex
CAROLUS V. & *FERDINANDUS I.*
Dum in LEOPOLDO
Et Romanorum Cæſare,
Et Hiſpaniæ, Indiæqve Monarcha,
Et Hungariæ, Bohemiæqve Rege,
Et Archi-Duce Auſtriæ,
Et Principe Belgarum &c.
Uterqve in *Uno* reſplenduit.
Et Utrumqve *SOLI AUGUSTO* influxiſſet
AUGUSTISSIMUS:
Niſi ARCHI-DUCALI intervolante AQVILA
Dimidium Sui in JOSEPHO,
Dimidium effigiâſſet in CAROLO,
Cujus Pennis inſcriptum legit
Aſtrologa Uranie
XII. Septembris:
CAROLUS III.
REX HISPANIARUM CATHOLICUS,
Magnus Mexicani, & Peruani Orbis
MONARCHA &c. &c.
Ut Auſtriaci SOLES Suis inaurarent AQVILAM Radijs,
Solium, Sceptra, Coronas
Dederunt Heſperiæ; an ſolius?
Totum ab Occaſu tranſcribent Imperium,
Tres rurſum in uno Sole orituri.
Qvid fixô adhuc obtutu hæret Uranie?

Hanc TRINI SOLIS ſtupet Epigraphen:

L. I. C.

Legítqve Vaticinium:

Ordine præſcriptô, SOLEM SOLI eſſe LICebit.

Jámqve Augur

Clangentem obſervabat AQVILAM;

Et *Oſcinibus* Alaudis applaudentibus,

Audivit SOLEM ad SOLEM:

En Hujus, NATE, Auſpicijs, Illa Inclyta Roma

Imperium terris, animos æqvabit Olympo. Virg. 6. Æneid.

Sic ex Uno Duorum Imperio

Dum ab Auſtro ad Heſperum,

A SOLIBUS ad SOLIUM, & CORONAS,

Magnas Alas, grandiore animô, accingit AQVILA:

Priùs Ab Aula ad CELLAM MARIÆ provolavit;

Vel eô AQVILA, & SERENISSIMUS:

Qvòd proximus ELECTÆ UT SOL.

Reveritus in anguſta Cella Auguſtiſſimam,

In ſolum procidit, ut aſſurgeret in Solium;

Anathêma devovit Regium:

Dum Se Marianis Cellæ affixit plantis

Grande Cæſareæ Domûs pretium,

Majeſtas Catholica;

Rata Optimum:

Priusqvàm vinceret Turres Heſperiæ,

Devincire Sibi TURRIM DAVIDICAM.

Securus jam

Pande vela Alarum Tuarum Typhi SERENISSIME:

Paſtoritia Hæc, & *Regia*,

Davidis DOMUS AUREA

Subditam Ovium Lanam

Mutabit in Vellus Aureum,

Et Domeſticum Arieti bellico ſociabit AGNUM,

Utroqve ut pugnes, Alterô ut vincas;

Unâ

Unâ Victoriâ Victor ſæpiùs.
Laurum pollicetur HORTUS CONCLUSUS:
Bellorum Campum
Proſperabit FLOS CAMPI.
Sic geminô pignore:
Coronâ, & Laurô,
Ad Aram Virginis ſubarrhantur
Regna, & Victoriæ.
Bene remigium etiam Alarum in altum duces,
Cùm MARI GRATIARUM committis:
Non alibi *melioris ſpei* inveneris *Promontorium*,
Nec *Inſulas Fortunatiores.*
Huc Anchoram! ubi Spes TUA:
Hinc Vellus aureum pete felicior Jaſon,
Ubi Colchicô pretioſiorem AGNUM ſuſpicis.
Pande Vela Alarum Tuarum,
Ducet STELLA MARIS MARIA:
Fortunas Tuas tuebitur ARCA FOEDERIS;
Vinces ævum Neſtoris, vinces Pylium,
Dum VITÆ PARENS ità TIBI cordi,
Imò Cor eſt.

NUMERUS II.

Aglaia, Charitum una, ob diſceſſum AQUILÆ gemit inſtar Turturis, & dolore velut Entheata, præſentibus futura permiſcet.

ELEGIA I.

Auſtriaci SOLES! AQUILÆ bene nôſtis amores:
Vultis, in Heſperias avolet Illa plagas?
Auſtriaci SOLES! QUAM Vos ardetis, & Illa
QUÔ flagrat, Veſtrum deſerat Illa jubar?

Conqverar, at fruſtrà: Virtus non ceſſit Amori:
   Neglectô gemitu Turturis, Ales abit.
Pennigeros remos geminatô concutit ictu,
   Me qvod obumbrabat, nunc celerabit iter.
Perget, & infractô naturam ſupprimet auſu,
   Dum fugiet Soles, qvos jubet Ipſa ſeqvi.
Perget, & audaces generoſô verbere Cauros
   Diſcutiet, Zephyris præplacet aura Noti.
Jam volat, & geminum paſſis obnubilat Orbem
   Alis, me viduam qvòd ſinit eſſe, gemo!
Et gemitum gemitu ſuſpirans ipſa retundo,
   Ut, qvâ deſererer, firmior aura foret.
Si Fortuna virum, fatô qvem nuper iniqvô
   Stravit, ut in longum ſit miſer, ipſa juvat:
Qvid faciam? gemitus curſum propellit, & urget,
   Lacryma, qvæ miſeros ſublevat, ipſa nocet.
Qvid faciam? cenſebo Tuos me cernere vultus,
   Et qvò non licuit corpore, mente ferar.
Sublevet hoc gemitus, hoc ſit ſolamen amantis,
   Et qvod abeſt, præſens adſore fingat Amor.
Excors, qvæ cordata fuit, Germania nunc eſt:
   Qvidqvid erat cordis Te comitatur amans.
Auſtriadûm, video, ſinuantur in aëre Corda,
   Hæc Amor, aut Aqvilæ penna volare docet.
Corda miniſtrat Amor paſtum; nè pocula deſint,
   Gemmeus in lacrymas ſolvitur ipſe Dolor.
Sic volat: atqve leves dum pennis concutit auras,
   Auſtria collacrymans ſuſpicit, unde dolet;
Czechiadûm rugit: dico, rugire Leonem,
   Non rugit, victi more, dolore gemit:
Triſte gemit, cuicunqve ſolo ſubducere vultus
   Ales conſtituit; qvò venit, illud ovat!
Hinc Hollandus ager feſtos candeſcit in ignes,
   Sic Aqvilæ lucem Solis ab arte facit;
Atqve triumphales ſinuantur ad æthera pompæ:
   Sicqve cacumen, amat noſtra qvod Ales, habet.

Nec

Nec ſatis eſt terris AQVILAM volitare remotis,
Remos in pennas nautica turba parat.
Illa Miniſtra Jovis gemini fidiſſima, Summo
Primis mox oculis ſemper amica polo?
Cæruleas modò Neptuni deſcendat in Aulas?
Phœbis portatam fluxa carina ferat?
Non GENITRIX AQVILÆ, non nôrint iſta SORORES:
Undas augeret lacryma ſalſa maris.
Verùm, qvid video? Zephyris dum carbaſa pandit,
Et cupiunt Anglas Auſtria vela vias:
Corripit æqvoreos Manes furioſa poteſtas,
Et ſummô planas æthere miſcet aqvas.
Qvid Neptune furis? pontum cur turbine miſces?
Cur qvatit annoſas ira Tridentis aqvas?
Nè metuas AQVILAM, non nuntiat arma Tonantis,
Turbatura tuam non venit Illa domum.
Sentiat Æolias, commiſcens æqvor, habenas
Caurus, & indomitum perluat ipſe nefas;
Ut placidas auras pergat, placidásqve per undas,
Aërij faveant, Æqvoreíqve Dij!
Sol Genitor, *Fratérqve Aqvilæ* fulgete Serenum,
In Veſtra ſemper cernua Luce volet!
Donec adinvitet, tantô qvæſita labore,
Heſperijs AQVILÆ in Turribus apta qvies!

NUMERUS III.

Euphroſyne, Charitum altera, Magnanimum AQVILÆ volatum ſpectat, & commendat.

POEMA I.

Auſtriacas egreſſa plagas, Terráſqve relinqvens
Sublimi vehitur *Jovis Ales Regia* pennâ,
Deſpectánsq; ſolum, ſubjectáq; Regna reqvirens

Inconnivô oculô: *Plùs ultrà*! clangit ab alto.
Nempe vel anguſtos nimiùm Pellæa propago
Evropæ qveritur fines, veſtigat in Orbe
Orbes, nec centum finitô limite poſſent
Immenſam ſatiare animam. Majora repoſcit
Sidereô prognata Thorô: cùmqve ungve vel unô
Terraqveam tanget Sphæram, vix firma manebit
Moles: nî firmet titubantem Sacra poteſtas,
Et virtus Divûm Similis: tum proxima ſummis,
Nativum ponet ſumma inter ſidera nidum,
Sidus & Ipſa novum; mox grande reflectet in ortũ
Lumen, & occiduum revocans à funere SOLEM,
Perpetuos alitura dies accendet Iberos.
Conticet Euphroſine. Et latitans, qvæ neſcio, Nympha
Avolat Æoliam versùs, reperítqve ſedentem
(Inflatos inter, qvos nubila dira tegebant,
Inſimul horrificô concluſos carcere fratres)
Hippotadem, cui cæruleum jam Dædalus olim
Pro ſede obryzo conſtruxit marmor in auro;
Hìc Ea, ceû potuit blandis, & melle perunctis,
Poſcere vel terno fratrum de corpore, verbis,
Qvi freta conturbet medijs in fluctibus, Unum:
Si qvid, ait, Natæ forſan tibi Doridis unqvam
Fecêre eximium, aut ſi qvos, tibi noſter amores
Olim haud ingratos, Dominator, detulit, aut ſi
Qvos poſthàc offerre tuas contendet ad aras:
Deprecorè ternis, Boreámvè, Evrúmve, Notúmve
Mecum hinc ire ſinas, CAROLINAM evertere claſſem.
Nunc, ô! nunc ſolennis adeſt ſpes ſumma triumphi:
Si Caput Auſtriacæ Gentis perdamus; & Unũ Hoc
Oceani (ſic fata juvent) condatur in undis.
His delinitus dictis Rex Æolus acres
Ventorum facilis paulatim laxat habenas,
Diſſolvítq; avidum Boream: pòſt mittitur Evrus
In ſocium, atqve Notus; trucibus tria nota virorũ
Cor-

Corpora de furijs: qveîs multò mitior atrox
Seû qvondam Briarêus; ſeû qvi mugire ſub imis
Igniti Siculus gaudebat flebilè Tauri
Viſceribus Phalaris; ſeû in regione Canopi
Innocuos qvisqvis mactare ſolebat ad aras,
Cenſeri poterat; qvi ſe dum fune ſolutos,
Ferróqve exemptos ſensêre, immaniter omnes
Inſanire ferè, & totô ſua gaudia lætùm
Circumferre ſpecu: fertur ſic Cerberus olim
Exultâſſe, pari cum libertate daretùr
Perpetua exempto de compede fortè potiri,
Dum thalamos Hecate, ſimul & moderator Averni,
(Factâ tunc Erebo toti reqviete) parabant.
Aſt ubi conceſſum pariter prodire ſolutis,
Longævámqve ſitim, furiámqve in marmore vaſto
Viderunt relevare datum, qvantocyùs omnes,
Qvà data porta fuit, totô ſe effundere pontô,
Atqve occurrentes primùm cum navibus undas
A fundamentis ſuſtollere, tránsqve Jovem ipſum
Delatas ſuper aſtrifero Othry, Oetáve locare.
Pòſt ubi prædones marium ſua lumina versùs
Oceanum torqvent, Anglóqve à littore paulùm
Progreſſam aſpiciunt claſſem, ſignúmqve capeſſunt
Ductricis Nymphæ, qvà inflatas vertere buccas,
Ardentésqve dein ſit convenientiùs iras:
Tum ſubitò in fluctus ſeſe ſubmergere terni,
Et piceum glomerare chaos: mox grandine densâ
Impetere adverſas naves, cælúmqve, ſalúmqve,
Et cautes, & aqvas, vicináqve littora, & altis
Inſuper avulſas, vi ſummâ, à montibus ornos
Commiſcere ſimul, nautíſqve, alníſqve minari,
Præſentémqve ipſam cunctis portendere mortem.
Actum erat, & jam nunc gelidas ſic tota ſepulchrũ
Æqvoris inter aqvas Claſſis ſibi triſte parabat;
(Heû! qvantis Spes Auſtriadûm jactata perîclis!)

Evrus ùt,& ſocij, & Ductrix ùt Nympha trophæû.
Cùm medias inter viſa eſt ſubitanea nubes
Flamma micare polô, totóqve effulgere pontô;
Nec ſatis: ùt cælum tanta cum luce refulſit,
Inſuper effigies mediô procedere cælô
Viſa eſt de Superis Unius, (creditur ALMA
STELLA fuiſſe *MARIS*) qvæ dû ſe vertit in hoſtes,
Momentô periêre minæ velociùs, atqve
Illico priſca ſalo, vetus illico forma redire
Ætheri, & in liqvido placarier omnia campo;
Fugit ad hæc hoſtis Nympha, Æolidæq; profundam
Inſimul oppoſiti montis ſubiêre cavernam:
Qvà ſubter cautes, & aqvas ſua in antra reverti
Qvæſierint, patrióqve ſpecu magìs abdere ſe ſe,
Qvàm totis pœnam Enceladi tolerare lacertis.
Senſit adeſſe manum lectæ *Cellis Cynoſura*
CAROLUS; at ſuperas dum lumen vertit in arces,
Cælica pertenuem Divinæ Virginis ora
In nubem retracta, nihil potuêre videri.
Sic ubi Pacatrix marium, ſua in aſtra reducta,
Aſpectari ultrà neqvijt: cælúmqve, Thetiſqve,
Ferali Boreæ furiâ ceſſante, qvievit.

Et comparens Thalia, Charitum Tertia,
Serenitatem Perſonata, anhelantem Alcedonia Euphroſinen ſic ſolatur:

Accedo Votis prona *Serenitas*:
Nulla eſt retentis jam mora navibus;
Venti, (minatur!) contumaces
Mittite pacifici fragores:
Sternantur undæ marmore vitreô,
Evris qvietæ: pacta Silentia
Jurata ſervet Lex, modeſtô
Lympha fluat cicurata Pontô.

Stent

Stent fornicatis æqvora mœnibus,
Exſuſcitatô commoda porticu,
Memórqve promiſſi favoris
Adfluat Oceanus qvietè.
Nec Tu flagrantes Arbiter ætheris
Vibra ſagittas; fulgura, fulmina,
Nè miſceantur: at benignô
Aëre pacifica furentes.

Euphroſine verò ad ſuum revertitur Epos, Et Iter AQVILÆ proſeqvitur.

Vix Aqvilæ Auſtriacam mare rurſus adeſſe carinā
Senſit, & Æqvoreæ ſimul emersêre Sorores:
Ludunt Nereides! curſu mollíqve per æqvor
Nymphas conducunt reliqvas in carmina, Pæan
Fortiùs ut creſcat, plausúsqve reverberet Echo.
Sic pelagi Domitor gelidis mandavit ab undis.
Et ſtetit Oceanus placidus ſinè múnere: gaudet
Bajulus eſſe, parátqve tenax in pondera tergus.
Nè qva volent temerè, ſua fulmina Jupiter ipſe
Clauſit, & Æolios frænavit carcere ventos.
Thethys, nè qvid Scylla vorax, ausítve Charybdis,
Auſterè vetuit, Pontúmq; qvieſcere juſſit. (dens
Tunc Neptunus adeſt reverens, prorámq; prehen-
Hoſpitis Auſtriaci: defértq;, dicátqve Tridentem,
Et CAROLO dat Jura maris: Circumflua puppim
Oceani Conjux: AQVILAM portate marinæ,
Inqvit, aqvæ, non Hanc aſpergine lympha laceſſat.
Et mox non trepidô vaſtum ſecat æqvoris auſu;
Direxêre ſimul Virtutes Carbaſa Patrum,
Jam CAROLI: clavum Pietas bene gnara regebat:
Anchora Spem voluit: tenuit Prudentia malum,
Antennas Amor, atq; Timor: Themis enſe minatur
Fluctibus in prora pœnas: Clementia puppi

Inſidet, & niveos humerô demiſſa lacertos
Lympharum prohibet rabiem; Gens cætera, Divæ,
In Navis venêre ſinum; CONCORDIA torqvem
Expandens, qvalem Xerxes non intulit Hellæ,
Alligat ad remos Zephyrum; CONSTANTIA littus
Proſpicit, erectósqve animat ſolamine nautas.
Felix ô! facilisqve ratis, qvæ Iaſonis Argô
Ditior, occidui vectans fata aurea mundi
Phryxeam deridet ovem; qvâ Cæſar, & ævi,
Dî cœptis adſint! vehitur Fortuna futuri.

Aglaia ſubjunxit Epigramma:

Solverat in Colchin fulvo pro vellere Jaſon,
Ut pretioſa *Sibi* munera ferret Ovis;
CAROLUS Hiſpanos hôc donat Vellere Grandes:
Ut *Sibi* Manſvetæ Viſcera ſervet Ovis.

NUMERUS IV.

Hæc inter adeſt Hiſtoriæ Præſes Clio,
Et volanti ad SOLIUM AQUILÆ,
SOLII Hiſpano-Indici Amplitudinem
Extemporaneè deſcribit.

ELOGIUM II.

Eſt hoc primum à Fortuna in Reges Privilegium:
Dum Opibus locupletant alios,
Sunt divites ex proprio,
Demum verè Beati, ex aſſe fortunati,
Dum nullius auxiliô indigi,
Sibi ſufficiunt in ſuis,
Nec ope, nec opibus opus habent alienis.

Habes

Habes hoc in TE Uno, præ cæteris,
Hiſpaniarum, & Indiarum Monarcha
CAROLE III.
CUI dum Fortuna hæreditaria,
Belli Virtus domeſtica,
Regna dedêre Hiſpano-Indica,
Feliciùs ſimul iſtud in TE contulêre privilegium:
Ut dum peregrinas terras ad fulciendum domi,
Ditandúmqve Thronum, fatigant alij:
TU toties Majeſtate dignum conſcendas SOLIUM,
Qvoties Hiſpano-Indicum calcas ſolum.
Stupet molem Orbis,
Dum ab Ortu Solis ad Occaſum
TUUM protenſum videt Eſſedum,
Et TIBI propè Uni ſe totum agnoſcit tributarium.
Ipſa miratur portentum pompæ Magnificentia:
Et hìc ſolùm ſe fatetur exhauſtam,
Dum qvod decori addat, nîl ultrà ſuppetit.
Ità Amplum, ità Grande vix pateretur Natura,
Nisì noſsêt ſe habere CAROLUM,
Cujus ſuſtentandæ Majeſtati propè eſt minutum.
Deſudent in dilatandis Regum Solijs
Ingenioſa Phidiæ Scàlpra,
Artifex fatigetur Apellis Induſtriá,
Ut opus efforment ad Artis elegantiam:
TIBI Natura famulatur in utroqve;
Molem extendit in Regnis, & Provincijs TUIS,
TUIS Obryzum profert in montibus,
TUIS Gemmas condenſat in fluminibus,
TUIS Adamantes condurat in rupibus,
TUIS Purpuram inſternit in Tyrrheni Litoribus,
Ad artis, nunqvam imitaturæ, invidiam.
Hiſpani Nominis infenſo hoſti *

* *Latino Pacato in Laud: Theodoſij Imperat:*

Illud veritas extorſit Elogium de Hiſpania:
Hanc unam eſſe Sibi in Suis ſufficientem;
In qva,
Qvod alijs miraculum,
Invenitur domeſticum;
Veritati non minùs conſonuiſſet effatum,
Si ad Hiſpanam reflectens Potentiam,
Unam dixiſſet,
Qvæ ſibi in magnificum exſurgens *SOLIUM*,
Majeſtatem ſuſtentat Inqvilinam.
Vis ſcire hujus *SOLII* magnitudinem?
Orbem metire;
Facem præferet Geographus:
Nè tantæ molis ſpeculator oculus cæcutiat in via.
Imò metiri deſine:
Non capit terminos, dum capit CAROLUM.
Pretium deſideras?
Supra pretium ſunt
Stelleæ Elephantorum nives,
Solares auri fulgores,
Argenteæ Phæbes Margaritæ,
Aſtra, gemmæ, Olympum effigiant:
Nec Auroræ caret murice, nec oſtrô,
Solis Orientis, & Occidui veſtitum venuſtate.
In ſuppedaneum argentum candicat Murcia,
In aurum recline ſuperbit Oviedo Aſturiæ,
In Adamantes ſolidantur Pyrenææ rupes,
In Alabaſtrum niveſcit Valentia,
In marmor politur Corduba,
In Cryſtallum, & Electrum micat Mexicum,
In Smaragdos viret Peruvia,
In gemmas omnigenas variatur Paraqvaria,
In Uniones cælatur Amazonum Regio,
Baſi ferreâ molem ſuſtentat Chile cum Biſcaja:
Nova *SOLIUM* exornant parerga:

No-

Novum Mexicum,
Novæ
Gallicia, Biſcaja, Andaluſia,
Cum Aurea Caſtilia;
Nec Throno deeſt Sanctitas:
Inſulæ Marianæ, Virgineæ, & Philippinæ.
Sic Cælum, Terra, Mare,
Hiſpano-Indicæ ſubſerviunt Magnificentiæ.
I jam,
Et CAROLINAM ſcrutâre magnitudinem;
Si ex umbra diem, ex ungve dignoſcis Leonem:
SOLIUM inſpice,
Et Inſeſſoris collige Majeſtatem.
At manum de tabula!
Fruſtrà in eo extollendo una deſudat penna,
Cujus magnitudinis portentum loqvitur
Univerſum.
Audax Elogij genus eſt:
Laudare velle, qvod ſupra omne eſt Elogium.

Reliqvæ alludebant Muſæ
Epigrammate.

I.

Stellea non patitur *geminos* Reſpublica *Soles*:
Unum eris Heſperiæ, CAROLE Magne, Caput!
Defert huic Capiti grandem * *Sol* Ipſe galerum,
Grandis ut Heſperiæ Sceptra *Monarcha* geras.

* *Sol galerus Reg: Hiſp:*

II.

Aſturiæ eſt Princeps Hæres, qvis, neſcio, ſcripſit:
Hæredem ſcribis ſed, LEOPOLDE, novum;
Anne novum? Litem ſi qvis nunc Scriba moveret:
* *Aſturiæ* Vox eſt Arbiter: indè ſciat.

* *Anag: Auſtria.*

III.

III.

Hiſpanum *Aſturiæ* Princeps hæreditet Orbem?
* Anagrama conſule: ARCHI-DUCIS eſt *Auſtriæ*.

* *Jambus.*

IV.

Eſt Romana nigris ALES ſi concolor Indis:
Cur Gallus Princeps *Indicus* eſſe cupit?

Iisdem dicere plura paratis:

NUMERUS V.

Uranie, Aſtrologa aliàs, arreptô circinô, Hiſpaniam in Zodiacum, Zodiacum in CORONAM efformat Volanti ad Heſperias CORONAS AQVILÆ.

ELOGIUM III.

Huc Circinatrix Geographia!
Orbem circumſpicio Heſperium:
Indè Terreſtrem deſcribo Zodiacum,
CÆSAREÆ ab Auſtria AQVILÆ
CAROLO III.
In Diadema rotundandum;
Majorem Coronam expetis?
Nulla major:
Qvàm coronari Cælô, & ſolô.
Naſcitur cælum ex Heſperia:
Cujus *Regna* in *Zodiaci Coronam* flectuntur;
Hìc terris aſtra commiſcentur.
Et nè ultrà tellus Heſperia cælo invideat,
Æmulam cælo Patriam facit,
Dum *Zodiacum Cæleſtem*
Aut ſibi, aut ſe illi infert.

Inſcen-

Inſcende Cæleſtis ſphæræ Regiam:
Ibi *Arietem* ſinè arietatione offendes;
Perambula Terreſtre Cælum Heſperiam:
Arietem videbis *Caſtella* Prototypon,
Caſtellam Arietis Ectypon.
Agno ſimillimum *Regnum*;
Facit, qvod *Aries* ſolet:
Vellus portat alijs, beneficô munere.
Toleti decies mille Pannificibus,
Forficum ferrô gaudens, dat lanam,
Hoc cum fœnore:
Qvòd crebriùs attonſa, uberiùs ſuccreſcat;
Tantóqve plus erogandum ſuperſit,
Qvantò plus erogat.
Taurum ſuſpice in *Granada*,
Qvot *Turribus* excelsâ,
Tot veluti *cornibus* armatâ,
Hoſtibus præſertim terrificâ
In *binis*, ſed montibus:
Singulos *Taurum Montem* diceres:
(Nisì gemina *Tauri Sideris* cornua indicarent)
Qvô hoſtiles arcentur incurſus:
Orbe Heſperiô, ùt *Circô* agitata ſæpiùs, *allatrari* potuit,
Non morderi:
Ab hoſtibus locô *circumacta*,
Hoſtes viciſſim in *vertiginem* circumegit;
Non aliô illorum qvæſtu:
Qvàm qvòd pedes fortiùs fixerit
Bos laſſus ex pugna!
Cæterùm patiens onerum,
Dives honorum,
Svave Jugum Austriacum pati anhelat,
Ut Auſtriæ Campos excolat
Ad Palmas, Cedros, Laureas
Immortales.

GALLICIAM, & MURCIAM intuêre in GEMINIS:
Aſpirant *Majum* perpetuum,
Bellorum tempeſtates difflant in Eteſias,
Concordiæ vinculô, veluti nodô Gordiô,
Se ſe connectentes,
Nullâ belli Acie diſſecantur.
CANCER eſt *NAVARRA*:
Geminis Pampelonæ *Caſtellis*
Veluti *Chelis* hoſtem conſtringens,
Ut greſſus relegere jam non ſemel cogeretur
Cancrô Magiſtrô.
Hoc etiam *Cancrum* ſe probans,
Qvòd nonunqvam hoſtilem exercitum ſic minuit,
Sicut Diem Sol in *Cancro;*
Qvanqvam *Cancer* qvoqve ſit à *regreſſu* ab Aragonia.
Leo Vetus eſt *Caſtella*:
Caſtellis munita à natura: *Fortis, ùt Leo*,
In unicum rugitum dum effervefcit,
Sic tremunt hoſtes, ut cadant exanimes.
Qvotqvot Heroës in lucem profert,
Tot Hercules parit, non *in exuvijs*,
Sed melior Alcmena
Inqvilinum Leonem Cordibus imprimit.
Valencia, Regnorum Helena, *Virginis* ſidus eſt:
Omni fæcunda ſpicilegiô
Autumnum perpetuum præbet Heſperiæ;
Virgineum ſidus abſqve *prodigio*:
Frugum omnium *parit* Libertatem.
Catalaunia Æqvi, & Juſti *Libra*
In Aſtrææ Lance ponderat Veritatem:
Dabit CAROLO, qvod *Suum* eſt.
In qvo nè à *juſto* recedat,
Aliena eſſe deſinet,
Et ex æqvo ad Auſtrum ſe inclinabit
Libra certè *Cæleſtis.*

Scor-

Scorpium ſibi vendicat *Aſturia:*
Ferocientem Hydram Æthiopicam non ſemel feriens;
Contra qvam terreſtris etiam Scorpij naturam induit:
Dum pungere ad mortem gnara,
Simul Oleum medicinale obtulit,
Si pacificè velit vivere.
Chironem æmulatur *Cantabria*:
Educat Heſperiæ Achilles, & Hectoras,
Qvi ſangvinem in Bella,
Robur in Victorias,
Vitas in vitam Regibus,
Ingenia in Conſilia,
Induſtriam in Labores,
Opes in opem publicam prodigant.
Novus in cælo Heſperio *Capricornus* eſt *Aragonia*:
Nullum cornibus ſuis impetens,
Præter hoſtium cornua.
Andaluſia, cellare dictum Hiſpaniæ,
Exundat in Oceanum,
Non tenuem Laticem, pretioſiſſimorum Liqvorũ,
Aqvarij Cæleſtis imago.
Eſtremadura, & *Legio*, ſidereos *Piſces* oſtendunt,
Et terreſtri Heſperiæ Cælo,
An cæleſti in Heſperia *Zodiaco?*
Catholicum ſunt complementum,
Dum aureos piſces geminis in fontibus exhibent.
Atqve hìc *Zodiacus* eſt *Terreſtris*,
Ambiens Triumphalibus Curulibus Tuis Corona,
Imò Arcus Coronarum Aureus ſuperimponi,
Invictiſſime Hiſpaniarum Rex
CAROLE III.
Vinciatur hôc *ſiderum terreſtrium* ſertô
Serenissimus Vertex Tuus!
Qvod *Zodiaci* totius ſolum Votum eſt:
Ut TE hôc *Diademate coronatum* videat;

Nullius qvippe Capiti eſt aptior,
Qvàm *Hiſpano-Auſtriacæ AQVILÆ*:
In qvam Unam plures ſimul Coronas
Amalthæa congeſſit.
Splendorem hujus *CORONÆ* qværis?
Extinctô nuper *SOLE* ſuô
CAROLO II.
In noctem funeſtatus eſt Heſperiæ *ZODIACUS*:
Sed CAROLUS III.
AQVILA prævolans *Se Ipſum SOLEM*,
Ut Phoſphorus,
Eundem primùm belli fulmine illuſtratura,
Ipſa innubis *dehinc SOL*, magìs faciet inclareſcere:
Cùm poſt tenebras Lucem etiam Tenebræ videbunt:
Hanc dum plenô Radiorum jubare
In *ZODIACUM* ſuum ſparget,
Amabili ſplendoris, & favoris ambitu,
Qvot Regnis, Provincijs, Urbibus,
Totidem veluti terreſtribus ſideribus,
Aureum in ſeculum circumactus,
Vitalíqve calore, ac Spiritu vegetatus,
CAROLI III.
Honori, ac Gloriæ nunqvam non lucebit.
Et En!
Ultrò jam ſe ſe qvæpiam *Terreſtris* hujus *Zodiaci*
Sidera inflectunt,
Plusqvam humanam adorantia
Majeſtatem.
Donec omnia Heſperiæ Regna flectantur
VoLantI aD CoronaM AQVILÆ:
Vt { zoDIaCVs In CoronaM,
Corona In zoDIaCVM. }

NU-

NUMERUS VI.

Poſtqvam Uranie Geographam egit,

Licere Sibi Evterpe putat, ut agat Aſtrologam,
Et ſub noctem conſpectâ in Cælo CORONÂ,
(Novem Stellarum Sidere)
Eandem volanti
Ad
CORONAS AQVILÆ

CAROLO III.

In *Novem* Caſtiliæ *Regnis* dedicat.

ODE I.

Terraqveus Orbis Herculi parvus fuit;
Hinc præ Coloſſo vel Rhodi,
Phariáve turre, vel ipsô Olympi vertice,
Præqve arduo Atlantis jugo,
Unde reſonaret altiùs mundo ſuum,
Et Fama nomen proderet:
Ambivit Orbes ætheris, ut aſtris qvoqve
Indè magìs inclareſceret.
Sic Magna Cælo nempe ſociari petunt,
Sic grandia aſtris inſeri;
Etiámne patria Grandium? Fallor, nisì
Castella Cælum jam tenet;
Nam, qvod ibi in axe Regium fulget decus?
Novem Corona Stelleis
Fulget pyropis, ſiderum illuſtrans genus;
Heroë digna eſt Laurea!
Qvin hæc *Novena* lucis orbita Regiô
Digna eſt CORONA Vertice!
Eſt Celtiberis non tacenda gentibus
CASTELLA, Laus Hiſpaniæ!

 Jam

Jam perge! felix AQVILA Regalis vola:
Undiqve Celevsma perſonet!
Belligera qvamvìs turba ventorum fremat,
Pontúmqve cælis invehat:
Labantur etiam ſemifracti fulmine
Orbis utriusqve cardines;
Si TE fatiget Nerei effrænis furor,
Aut turbidi vis Æoli:
Supervolabis Colchidis littus tamen,
Aurata præter Vellera,
Sumere CORONAM *Gnoſſiam;* Apparet novũ
CASTELLA Sidus, & Auſtriam
Nec *Una* deducit *AQVILAM Stella*, at *NOVEM*
Ariadna Stellis Auſtrium
(Regnô *novenis* inclytô *Regnis*) velut
Cinget CORONA *Theſeum.*
Ibera Tellus plaude! adoreas para,
Regníqve Turres plaudite!
Io! beatum jam ſpei littus premit!
In terra avete SIDERA!
Gemmas in ignes digerit, ut aurum probet,
Purum, CORONÆ CAROLO.
Felix CORONA! Regna cui gemmas agunt,
Cui Tagus aurum diluit;
Non invide ultrà terra cælo Sidera,
Prognata ſtirpe Regiâ:
Aurea migrârunt Aſtra vel in Hiſpaniam,
Vel in Aſtra abijt Hiſpania.
CASTILIA, *Regnis ùt novem Stellis* nitens,
CORONA fulget Gnoſſia.
Jam ſcribe Epigraphen laudibus abundans Tuis
Grandiloqva Gens Iberiæ:
Qvod inter Aſtra *Gnoſſia* CORONA eſt, idem
Inter CORONAS Regias

CA-

CASTELLA præſtat: *Aſtra*, *Regna* ſunt *novem*
ASTURIA nempe, & *LEGIO*,
MURCIAQVE cum *VALENCIA*,
ALGARVIA, & *GALLÆCIA*,
GRANATA, & *ANDALUSIA*,
CASTILIAQVE Vetus, & *Nova*,
(Regnū *TOLETANUM* vocāt)
Qvæ Sola *Stella* cæteras
Unam in CORONAM provocat.
Huc ergo CÆSARIS ALES! AQVILINUM Caput
Ambit *CORONA Iberia*!

Subjunxit Vaticinium I.

Pro Pomo Heſperiæ dum Pars adverſa duellat:
Magne, Secundantem, CAROLE, fortè petis?
Sed TUA Pars vincet: Bona ſemper cauſa Triumphat:
Ipſe TIBI felix, *Térqve Secundus* eris.

Vaticininm II.

Heſperiæ *Grandes AQVILÆ* ſubmittite *Turres*:
Conjunctum IMRERIUM cum Jove REGIS erit.

Ii 2 NU-

NUMERUS VII.

Emensô feliciter mari Atlanticô, factóqve
In Luſitania appulſu, Erato felix Bellicæ in Campum
Martium Expeditionis Auſpicium,
In receptis Luſitaniæ Munimentis
Montſantos, Idanha la Nova, &c.
Devicto per Prælium Ronqvillo,
SERENISSIMÆ AQVILÆ
CAROLO III.
REGI CATHOLICO gratulatur.

ODE II.

Invicte Regum, Gloria Tevtonum,
Propago Magni CÆSARIS Inclyta,
Grandis Coronati ſuperſtes
Sangvinis, Auſtriacæqve Princeps
Columna ſtirpis, Fulgor Iberiæ,
Lux Sacra cæli, ter ſalientibus
TIBI celebratum Camænis,
CAROLE Magne, metrum dicabo:
Tuúmqve Nomen Grande recentibus
Luctabor alis tollere, ut ultimam
Aduſqve Thulen commigrantes
Spargat Honos Dominator umbras.
Qvacunqve terræ Sol habitabiles
Luſtrat oras, Auſtrie CAROLE
Atlas vocaris; qvæqve ſparſit
Per veteres bona gratiarum
Virtus Monarchas, fœnore non levi
In TE coëgit ſedula Gloriæ
TUÆ Laboratrix, diúqve
Auſtriaca ſtudioſa *Fama.*

TU

TU prægravantis Martia Iberiæ
Columna, Soli cûi ſuperinſidens
Fortuna nutantis qvieſcit:
Et placidus retines in altum
Curvata lapſum pondera grandia;
Deprælianti ûm funera Principum,
Pronásqve Regnorum ruinas
Conſilióqve, Humeríſqve ſiſtis.
TE Martis horror ſplendidus aſpici,
TE Bellicarum Præmia frontium,
Palmæqve, Laurorúmqve frondes,
Et famulus comitatur Ipſe
Mars in CORONAS; Neſcius objicis
Hinc ultra inauſos, CAROLE, *Terminos*
Calpen, Coronatúmqve qvondam
Herculeis, *Abilam*, Trophæis,
Metes *Triumphos*; Hercule vidimus
Ab Hoc (*Volucri*, qvin potiùs canam,
Ab Hac *Tonantis*, fulminúmqve
Armigera Auſtriaci Miniſtra)
Petita telis culmina *Turrium*,
Qvamvìs ferirent Sydera vertice,
(IDANHA, MONTSANTOS fatentur)
Legitimo redijſſe Regi.
Et, qvod recordor: poſtea vidimus
Ab Hac profuſis, nec ſemel, Oſſibus
Albere campos Æmulorum,
Et roſeô temulenta pontô
Natâſſe victis arva mucronibus:
Paſſim freqventi terra cadavere
Surgebat altùm, & ponderoſis
Funeribus gravidatus agger.
Tunc CAROLINUS fulgidè Acinaces
Lucere ſtrictô viſus acumine;
Et ſparſa latè fulminantûm
Ignea vis reboans tuborum,

K k Fra-

Fragórqve pronis vallibus editus
Paſſim loqvacis vocis imagine,
Reverberatô terris tumultu
Inſonuit CAROLUM remotis;
Pluit nocentis ſangvinis imbribus,
Qvando helluatus cædibus integris
Germanus enſis vindicavit
Legitimis AQVILIS Iberos,
Hoſtíſqve fregit percita cornua:
Arrecta eqvinis ira ſtetit jubis,
Mansúmqve ſpumans dente frænum
Heſperiæ ſtupefecit Oras.
TU ſtante vultu, *Maxime Principum*,
TU providenti Conſiliô potens
Campos inundatos, Iberô
Exoneras, revocáſqve Palmas.
TU TU fugatis hoſtibus eminens,
Preménsqve VICTOR colla nocentium,
Calcans acervos provocantûm,
Imperij acceleras Triumphum.
Excede Campô VICTOR, & arduas
Remitte curas: functa laboribus
Appende vincenti PARENTIS
Scuta tholo, repetátqve ſtrictum
Vagina ferrum; Jam Litui fragor,
Triſtíſqve ceſſent claſſica murmure:
Et ſtrage fumantem Capillos
Mitte lavare Tagi amne Turmam.

Subdidit Epigramma:

Fulminat offenſus Turritas Jupiter Arces,
Atqve Giganteas concutit Ille domos:
Heſperia! inclina Turres: ut nè Jovis iram
Austriaci metuas, Armigeramqve Jovis.

NU-

NUMERUS VIII.

Calpe feliciter expugnata,
Rurſúmqve Obſidione Soluta
VICTRICI AQVILÆ

CAROLO III.

Regi Catholico
Se ſe devotiſſimè conſecrat
In
CORONAM GRATULATIONIS. *Eccli. 6.*

POEMA II.

Bella per Heſperios plùs qvàm Mavortia campos,
Invictas acies, Lauros, Palmáſqve, Ducéſqve,
Carbaſa tum Claſſis, celebres Calpéſqve Strategos,
Et Jove prognatum Auſtriacô, ſeû Sole Volucrem
In Sua felici provectum Regna Gradivô,
Subjectáqve ſibi pulchros de gente triumphos
Portantem, cane Muſa gravis, non laude minore,
Qvàm Sum̃us mereatur apex; date jubila Nymphæ,
Et citharis multùm reſonis, Lituíſqve canoræ
Victrices meritis Aqvilis ſubſternite Palmas.
Poſtqvã Cæſareus, Batavúſq;, Anglúſq; Gradivus,
Nunqvam non Victor, campô disjecit apertô
Adversùm oppoſitas memorandâ clade Phalanges:
Poſtqvámqve Heſperias, armis Victricibus, Urbes
Compulit Auſtriaco ſua ſubdere mœnia Sceptro,
Et Calpen pariter juri aſſerturus avito
Imperat, hanc totis arctari viribus Urbem:
Martia mox raucô ſtrepuerunt cornua cantu,
Et Batava ad ſonitum Pubes Martem intonat ore,
Egregióſqve datura auſus accommodat enſem

Fulmineum lateri, reliqvíſqve accingitur armis.
Dux Darmstatt, Acie tali digniſſime Princeps,
Principe tali Acies! Magnum pro Cæsare bellum
Aggrederis, grandem Tibi ſignat Gloria clivum,
Et pulchrum præbet Virtus generoſa theatrum;
Duc Aciem! res Ille geret, qvas nulla ſilebit
Poſteritas, Solíſqve rotas ad utrumqve cubile
Æqvabit famâ, & factis ſuper æthera tollet.
Urbs eſt Heſperijs jam dudum habitata colonis,
Herculei qvondam notiſſima Meta Gradivi,
Pulchra decore ſitûs, populis, & munere portûs
Dives, ob irriguô lambentem margine Pontum,
Calpe, velivolas Urbs inclyta nota per oras;
Montibus hæc Major reliqvis conſurgit in Arcem,
Qvam Troja invideat: pro cujus mole ſtruenda
Major Apollineâ, major ſudavit, & alſit
Neptuni dextrâ; ſed qvæ nunc, hoſte repulsô,
Læta triumphales Victori mille coloſſos
Erigit, atqve inter plaudentis Martis honores
Orbi teſtatur, qvantos Bona Cauſa Triumphos
Conciliet. Vix dum primas cum luce Calendas
Invexit terris Auguſtô nomine menſis,
Jam turrita patent grandi cum vertice tecta;
Infelix Calpe, laterum compage ligatâ
Immanem attolit molem, capitalia fulgent
Cyclopum ſudata manu, ſtant fortia circùm
Mœnia, Dædaleæ ſerpunt glomeramine fraudes:
Hinc muri aſſurgunt, hinc propugnacula terrent,
Indè cadunt foſſæ, cunei malè tecta periclis
Antra tenent, cæſæ ſuperaddunt robora ſylvæ
Cuſpidibus, ferróqve truces, immenſáqve frænat
Clauſtra Chalybs, altóqve ſecat munimina vallô.
Hinc molem ſtatione gravem, Mavortiáqve arma
Diſponunt Batavi, circumdat littora Claſſis
Anglica, bella parat, partíqve incommodat omni;
Flucti-

Fluctifragis preſſæ tremuêre phalangibus undæ,
Succubuítqve ſuis Thetys laſſata lacertis;
Sed priùs ac totam, qvà terrâ cingitur, Urbem
Clauderet, aſſocias in cædem animare phalanges
Darmstadius, Mavortis Amor, Dux agminis Ipſe,
Defenſum Superis Caput, & fatale domandis
Portubus, ac animô ſecum qvàm plurima volvens,
Taliter eſt orſus: Multis gens Inclyta Palmis,
Et Virtute potens, qvidqvid meruiſtis in Armis,
Nunc præſtate Viri, nunc Vos oſtendite Martes;
Non Vos hæc moles Turritæ terreat Urbis,
Dux adero, durô creſcit certamine Virtus;
Major in adverſis, tantóqve illuſtrior indè
Gloria, qvò majore fuit qvæſita labore.
Ergò ſtate animis! nec enim ſinè Marte Triumphus
Obvenit, & multô venalis Adorea venit
Sangvine; qvi cupit hìc Palmas metere, Ille minacẽ
Hoſtili diſcat demergere ſangvine falcem,
Et chalybe exanimare latus. Pia Numina cæptis
Adſint! felices pariet Bona Cauſa Triumphos.
O! mihi ſint lingvæ centum, ſint oráqve centum,
Ferrea vox! Tantæ Portenta energica vocis
Nondum lingva dabit, qvâ Dux flagrantia telis
Affatus, generoſô accenderat Agmina Marte.
Dixit, & ignitus rimatur pectora zelus:
Ille acuit flammas lymphis, hic fulgura defert,
Ille tubô ſphæram expellit, vehit iſte per auras,
Curſúmqve accelerat, totô ſimul impete murum
Ille qvatit, telum anteît hic, ſaxúmqve revellit:
Circum caſtra tonant, reſonant mugitibus antra.
Miratur Steropes, qvæqve audit fulmina Brontes,
Qvásqve Urbi intulerint clades: victósq; fatentur
Séqve, Jovémq; globis; Tantum eſt pernicibus iræ!
Jámqve moræ impatiens Molem devicerat ardor:
Scanditur absqve metu, prenſant faſtigia dextræ;

Ille volat ventô ocyor, is repit, furit ille,
Ille gradum ſeqvitur, cæcô is Mavorte reſiſtit,
Ille pedem figit, murô is ſupereminet altô.
Naſicæ reduces acies, & mænia credas
Naumantina qvati; generoſáqve fulmina belli
Scipiades Lybiam numeroſâ ſternere clade:
Argumentum ingens Patriæ Virtutis in ævum.
Si qvid Muſa poteſt, hæc Martia Gloria vivet,
Scipiadéſqve ſuos jactabit Tevtonis Ora.
Non tulit oppoſitis volitans exercitus alis
Fortunam, Batavis fatum exoptabile campis:
Colligit Herculeas vires, glomeratur in unum
Miles, & effætus pro Rege, ac Urbe capeſſit
Tela ſenex, juvenſqve audax, cladémqve cruentâ
Solvere clade parat: caput objectare perîclis,
Præcipitare hoſtes muris, rursúmqve potiri
Aggeribus, raptámqve ſibi cum fœnore palmam
Accelerare cupit. Cæcis defoſſa ſub antris
Sulphura nigrantes meditantur ſpargere ſtrages;
Oſtia furva patent, jam ſubterranea gliſcunt
Prælia, terrificum conqvaſſat jugera murmur,
Aggeris ora furunt, adapertis faucibus horret
Tellus, atqve jacit totô fruſtrà eruta campô.
Hinc infauſta rotat validas vertigo Cohortes,
In ſublime volant, miſerandi ſcena theatri
Belligeri: jam iſti ſubitus caput abſtulit ardor,
Aëreis truncum corpus circumvolvat oris,
Illic brachia fracta cadunt, ſinè viribus altô
Provehitur, vulſo cum poplite crura labaſcunt
Iſti, Ludibrium vacua excipit aura cachinnis;
Indè trahunt venti galeas, ſuſtollitur enſis (tur,
Indè, hinc confligunt ſclopi, atq; hinc ſcuta ſeqvun-
Hinc Loricati per inane feruntur amictus;
Luctificum ſub Sole chaos! cui ferre medelam
Attentant Angli, propriô diſcrimine cauti,

Ener-

Enervare dolos, & fraudes vertere fraude,
Impavidi occipiunt, rimantur viſcera terræ:
Hic peditum ſudat manus; hic agreſtia findunt
Jugera ruricolæ; pars effoſſam eruit antris
Cum ſonitu glebam, pars aſportare laborat;
Fervet opus, patefitqve dolus; malè tecta cavernis
Eruitur multo cum pulvere copia nitri;
Æqvantur cunei, qvíſqve exitiale ſtruebant
Occipiti fulgur, prædæ ceſsêre furentûm.
Nec ſatis eſt, urgent Angli, tormentáqve circùm
Lata ſonant, atrô tegitúrqve arx horrida fumô.
Qvi modò langvebat miles, nunc funera centum
Conficit, & ſubitas alieno in vulnere vires
Increviſſe ſtupet; pulchri calet ira Gradivi.
Jámqve Acies Urbi propior, murísqve propinqva
Adſtitit, & plumbi ſuper ædes evomit imbrem:
Huc labor eſt verſus; pars pulvere fœta nigranti
Dolia convertunt, pars arma; ignísqve fovendo
Materiam, funes, glandésq;, globósq; miniſtrant.
Arbuteos alij corbes, munimina valli,
Ingeſtis ſtipant terris, pars figere ſcalas
Aggreditur validis muris; amor omnibus idem:
Fortunæ, & Belli qvemvis durare laborem.
Pars flammas, piceásq; faces, & plura trecentis
Fulmina in Urbicolas, Procerúmq; Palatia præceps
Jactat; parte aliâ ſclopi, mortaria frendent.
Non ſic in Sicula Vulcanus barbarus Æthna
Igne furit, nec atrox unqvam tot fulmina mittit
Jupiter, iratô diſrumpens nubila cælô
Orbis in exitium, qvot in Urbis mœnia miles,
In celsásqve domos, flagrante accenſus ab ira,
Exeruit; flammæ flammis miſcentur, utrinqve
Tela volant, fumant ſuccenſô pulvere tecta:
Undas flamma arcet, flamæqve arcentur ab undis;
Hic Domus annonâ turgens dedit ampla ruinam,

 Vul-

Vulcanô torqvente rogos: ibi proxima ab igne
Tecta flagrant, plures depaſcit ſæva favilla
Cum domibus poſtes, illic labat arjete crebrô
Janua, & emotæ procumbunt cardine portæ;
Tum pavidæ Matres tectis nutantibus errant;
Plurima pérqve viam ſternuntur inertia paſſim
Corpora, pérqve domos ſerpit crudelis ubiqve
Luctus, ubiqve pavor, mæſtiſſima mortis imago.
His viſis, varios hoſtis ſub pectore ſenſus,
Ancipites curas dubios contorqvet in orbes:
Qvò fugiat? Qvid agat, non invenit; utqve ſecuri
Saucia trabs ingens, ubi plaga noviſſima reſtat,
Qvò cadat, in dubio eſt, omníqve à parte timetur:
Sic animus variô labefactus vulnere nutat;
Una ſalus miſero, dextram pro tendere inermem,
Et deſperato Pacem pro Marte paciſci.
Nondum bis denam decurrerat axe qvadrigam
Auguſtus, reſerant poſtes, portáſq; repandunt
Cæsareis; In mænia Princeps Ipſe vocatur:
Qvæ dum lauricomâ cervice ſubit, tuba clangit,
Ingreſſúmqve ſui Ducis ænea fiſtula feſtô
Mugitu celebrat, Victori tympana raucô
Applaudunt ſonitu! diffuſáq; Claſſis in undis
Armorum ſtrepitu feſtiva tripudia jactat.
At Dux adverſus cladem miſeratus, inultam
Ferre negans cædem, lugétq;, acuítq; dolorem
Auctus amicorum numerô, malè cœpta reſumpſit
Arma ferox: redeamus, ait; plenúſqve furore
Per cuneos, per ſaxa, ſcrobes, & funera mille
Urbem prævalidâ rurſum obſidione fatigat.
Vix loca deſignat, qvæ propria cuîqve phalangi
Sit ſtatio, ſtatione qvies, ubi caſtra locentur;
Illico, qvod ſtupeas, conſurgit terrea moles
Phlegræos referens campos, tumidúmqve laborem
Titanum, qvalis fuerat, dum Pelion Oſſæ

Snb-

Subjicerent, peteréntqve arces Jovis; Ordine longô
In foſſas vacuatur humus, cornutáqve crudô
Ceſpite ſub muris ſurgunt faſtigia: tectos
Cingit foſſa Viros: muralis machina celſæ
Infertur moli flammas ſparſura, necésqve;
Enatas momentô ædes, ceû cælitus urbem
Dixeris emiſſam; ſurgens orientia Titan
Tecta ſtupet: pavet arctatus ſub pellibus æther
Latè finitimis dominantia culmina terris.
Hoc ſed opus ter mille viri dum gnaviter urgent,
Fulmina vibrantur Cyclopum cuſa caminis,
Faucibus & patulis ſpargunt mortaria flammas,
Æra procul, lituiq; ſonant, crepat horrida grando!
Ferrô ſcloporum ſublimis inhorruit æther.
Nube à pulverea, ſonitúqve immugijt aura.
Inſtantes operi ferri fragoribus arcent,
Foſſorum cœptos turbant, variéqve labores,
Nituntur ſtructas rurſum diſrumpere moles.
At fruſtrà: nec enim qvemqvã diſcriminis horror
Terruit, inceptóqve fugam prævertere ſvaſit;
Intrepidi perſtant. Mediô ſic gurgite Nili
Stat brevis, Inachiæ qvondam Sacrata juvencæ,
Inſula, qvam, primi ſub tempora veris, hirundo
Agmine denſa petit, paleásqve, & ſtramina circùm
Ore legens longô (dictu mirabile) firmat
Objice: nec reqvies feſſis; noctémqve, diémqve
Continuant operæ, &, qvâdam dulcedine tactæ,
Sæpe animas etiam gratô impendêre labori.
Sic adverſa (ajunt) nullum pertæſa laborem eſt,
Inflammata operum ſtudijs, & amore Juventus.
Dúmqve ità Mavortis labor implacabilis auſu
Perſtat in incepto, & primùm Dux fortiùs urbem
Arctat in ingreſſu, validô deîn impete muros
Hinc, atqvè indè qvatit, Batavos poſtremò laceſſit;
Inſuper hinc, atqve hinc duodena in colle metalla,

Fulmineos ſparſura Joves, dum conglobat, Urbe,
Qvà data porta, ruit metuendus in ordine miles.
Non ſic, aggeribus ruptis cùm ſpumeus amnis
Proruit, oppoſitáſqve evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulô, campóſq; per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit, furor arma miniſtrat;
Hos ſeqvitur populus, jungítqve noviſſima verba:
Per Carmentalem Calpe non Vos cupit ire
Portam, ſed Fabijs magìs ite, redite ſecundi;
Excipiet lætus reduces Dux Urbis, & arcis,
Feſta ſalutabunt plaudente metalla boatu.
Egreſſi ſuperant foſſas, à pectore ferrum
Vix ullô revocant, furit eminus hoſtis in hoſtem;
Res agitur ferro, miſcetur ſangvine ſangvis,
Arma, cruor, cædes, diſcrimina, milléqve mortes
Ante oculos volitãt; penetrantur ab ignibus ignes,
Pectora pectoribus cohibentur, dextera dextris,
Funera funeribus cedunt, æs æra refringit;
Hinc cruor in vallis, multâ indè rubentia cæde
Corpora fuſa natant, permiſtáqve viva ſepultis
Funera ſuccumbunt, in vallis nacta ſepulchrum,
Qvod propriâ fodêre manu; jam fortè trecenta
Spectabat Calpe reſupina cadavera Franci
Militis, in proprio ſorbentia ſangvine mortem.
Qvanta ſub hoc tempus per Caſtra adverſa, per arma
Tempeſtas iërit belli, qvibus actus uterqve
Gallus cum Batavo furijs concurrerit hoſtis,
Dicere nec poſſum, nec cûiqvã dicere promptũ eſt.
Talia dum caſtris, vallíſq;, ac Urbe geruntur:
En tibi Liligeræ munitô remige naves
Adſunt; ter denæ, Claſſis ſpectante Thalaſsô,
Ponti fortunam placuit tentare carinæ.
Fit motus: firmas ignitô verbere puppes
Aggreditur, vaſto miſcentur in æqvore voces,
Remorúmqve ſonus: Fit proris obvia prora,
Impul-

Impulſis roſtris crepuerunt obvia roſtra,
In puppim redière rates, emiſsáqve tela
Perculſas tenuêre Scaphas; utrinqve perempti
In ratibus cecidêre ſuis, fluxúmqve cruore
Non modicô tinxêre ſalum; ſed major ubiqve
Virtus in Batava, tanto in diſcrimine, parte
Enituit: rapidi nam fulminis ocyor alis
Maxima pars pugilum, paucis poſt terga relictis,
Poſtqvam bis denam vitiaverat igne phaſelum,
Liligeras aſtrô contra ſpirante triremes,
Eluctata fuit, CALPIS rursúmqve ſecundis
Allabens ventis cecinit Ter læta celevſma.
Fortè dies aderat magnis prævíſa ruinis,
Qvâ maris è medio reboans Vulcania peſtis
Centenis plures ignitô ſulphure jactus
Urbis in exitium, Pontô indignante, vibravit,
Caſtellóqve loci ſubigendo plura trecentis
Fulmina flam̄ivomô nimiùm metuenda metallô,
Intulit una dies, vicinæ prodroma cædis.
Dum ſic ferrati ſtridet vis bellica nimbi:
En tibi Tyndaridis ſe Majus in æqvore præbet
Spectandum Sidus, bene notus in Orbe Thalaſſus
Lake, defeſſis cupiens ſuccurrere muris;
Transijt Herculeas, ſtipatus Claſſe, Columnas.
Quis referat plauſus, fidæqve tripudia Gentis
AUSTRIADÛM captæ ſtudiô? ferit æthera clamor
Lætitiæ, geſtítqve freqvens in vallibus Echo,
Et tuba plauſibilem ſonitum procul edidit, ære
Ignivomô tormenta tonant, teſtata Britan̄i
Martis adeſſe manum. Plenam diſcriminis horam
Adventare ſibi longinqva per æqvora Partes
Adverſæ ſtrepitant, pallent, unóqve ſub ictu
Liligeræ fugiunt remis, velisqve carinæ.
Sic eſt elumbatus Mars hoſtilis, & iſta
Funeſtum grandi paſſum cum clade retraxit,

Seróq; Austriacæ damnavit bella Volucris.
Francigenæ pede funeſta cum clade retractô
Austriaci ſerò damnârunt fœdera Martis.
Ergò reſpirant hilari jam mœnia vultu,
Juratos Aquilæ veniſſe ad prælia Divos
Mirantur, casúmqve ſtupent: cur Aſtra fugacem
Sic fugiant hoſtem? nam Sol, Superiqve ſerenum
In noctem vertêre diem, dum Phæbus in axe
Condidit ardentes atrâ caligine currus,
Involvitqve orbem tenebris, hoſtésqve coëgit
Deſperare diem melioris Sideris: Indè
Obſcurata ſuam doluit Gens Celtica famam.
Hæc fuit illa dies, & ineluctabile fatum
Oppoſiti, qvô victus erat, didicitqve coactus
Auſtriaci poſthac venerari Sceptra Gradivi.
Ergò Victores Calpe venerare volatus
Austriacæ Volucris, prognatæ Cæsare Phæbô,
Poſt ſex, Imperij Sol exorietur & Ipsa:
Illi Illi Soli debentur pectora *Soli*,
Illi Illi Soli debetur Laurea *Soli*,
Illi Illi Soli debetur Gloria *Soli*,
Illi Illi Soli debetur Iberia *Soli*!
Et mox Fama volans AQUILÆ ſic ore locuta eſt:
Eja! ſupinatæ Dominô faſtigia Calpes,
Carole, ſcande gradu! feliciter inter Iberas,
Turres, iſta Tuæ ſurgunt Capitolia Pompæ,
Ædili gladiô, fabram cûi Austria Virtus,
Et Fortuna manum, nullis hebetata Gradivis
Saxa dedêre cotem: Vani ſudantia Xerxis
Otia fregiſſent animos, ſtupidúmqve Ligonem,
Æmonijs itreum ſi debellare ruinis
Hunc tentâſſet Athon; Non fractis Alpibus iſtis,
Exhauſtô frontem Pænus caperaret acetô
Hannibal; Adverſi nunqvam Bellona Gradivi
Verterit has arces, miſsô ſeû Ænea plumbô

Sæ-

Sæviat, ereptô demum ſeû aurea pugnet
Arjete; ab AUSTRIACIS geniti VIRTUTIBUS auſus
Hoc potuêre; & ubi Xerxeô Scalpra labore
Ceſsâſſent, ibi, Germanô vibrante, mucrones
Non perdunt operas; acidi qvas Machina Pœni
Sat maceret nunqvam, pulchrô ſudore coactæ
Miteſcunt rupes; qvò fulvô tergore dives
Arcas non tentet, CAROLINUS in ardua Petræ
Victores Mars egit eqvos. His perge ſecundos
Inter clangores: partis qvà ſtrata Trophæis
Appia deducit. Nîl ſub Victore vacillat
Paſſu, ſubjectis nec qvà TE collibus Altum
Victa tremit Calpe DOMINUM; ſic firma cliente
Saxa fide durant! Hujus monumenta reqviris?
Subdita gaudenti ponent diſpendia lapſu,
Nobile proci duæ pretium factura ruinæ,
Ad tantos jacuiſſe pedes. Non ſurget in iſtis
Ruderibus *Limen*, cui mollior Herculis addat
Debile Lemma Stylus: *Non ultrà;* Major at indè
Ad majora gradus luctanti culmina creſcat!
Unde TUI valeas Sceptri ſub jura fluentem
Deſpectare Ebrum, famulô terráſqve natantes
Æqvore, & à natò venientia Sole tributa.
Jam Neptunus, avens Auſtrîis ſervire Tridentem
Faſcibus, allambit pacatô murmure Calpen:
AUGUSTIS etiam ſubmiſsè lota daturus
Oſcula, ſi jubeas, plantis; vocalia ponunt
Cornua Tritones GERMANI ad claſſica MARTIS;
Nec citius ſtreperis vulgatrix bucca qvieſcet
Conchis, qvàm totô ſint decantata Trophæa
Oceanô CAROLI. Jam circumfuſa *Columnæ*
Herculeæ Najas Proavô deciſa mucrone
Lemmata; *Plùs ultrà*! renovantibus eluit undis:
Et textam in Petra Calpes, Horto velut, inqvit:
GRATULOR Heſperidum primo de flore CORONAM.

N n *Epi-*

Epigrammata de Calpe
Occupata.

Mons *Aqvilis* Sedes: à Calpe aliæ ite Volucres;
Imperialis ibi nidificabit *Avis.*

Aliud:

Deviƈtâ CAROLUM Livor metîre * *Columnâ*:
Grandibus HIC, dices, Jure *præeſſe* poteſt.

* *Calpe unaex Column. Herc;*

Aliud:

Magna *Fides* CAROLI! Talem *miracula* clamant:
In Terras *Montem transtulit* ILLE Suas.

Aliud alludens ad montem Ætam,
In qvo Hercules combuſtus.

Æthæi Calpe renovat ſolennia buſti,
Herculeam Pyrius dum facit indè *pyram.*

Aliud:

Herculeam forti domuiſti Marte *Columnam*:
Si qvando *Herculeus*, tunc fuit iſte *labor.*

Aliud:

CAROLE, monſtrabat digitô TE Fama; petîſti
Montem: non meliùs conſpiciendus eras.

Aliud:

Herculea Victor ſiſtens in *rupe*, videbis
Inſinuans ſe ſe ſub TUA Sceptra *Peru.*

NU-

NUMERUS IX.

Barcellona cum Catalaunia

Victrici AQVILÆ

CAROLO III.

Regi Catholico.

Se ſe devovet

In

CORONAM EXULTATIONIS.

Eccl: 1. 11.

POEMA III.

Qvid iſte turbo militum? & aperti Seges
Ferrea Gradivi, trepida montivagas trahens
Per arva turres? agmina qvid amplô volunt
Clypeata ahenô? Cujus in ſtrages hiant
Æmula Tonantis Æra, flammivomum ſinu
Sparſura tonitru? ferreô tellus riget
Turbine; procellâ ferreâ ſtridet Thetys;
Qvocunqve longô ſqvalidos luctu fero
Captiva vultus, ſive qvà roſeum levat,
Seû qvà recondit aureum heſperijs jubar
Titan ſub undis, triſtè Mavortis tonant
Undiqve fragores. Barcino fuimus! fuit
Arx Barcinonis, atqve Catalauni Caput.
Sublime Solij! Rauca Cæſareum ſonant
Undiqve Gradivum claſſica, in luctus meos
Tota hæc canori ſcena Mavortis venit!
Qvin erro! Clangor iſte per apertos ſonô
Diſperſus agros, aureum Phœbi Jubar
Tandem, dolorum nube diſcuſſâ, vehit.
Io! triumpha Barcino! Aqvilinæ procul
Super arma Volucres Læta Catalaunis ferunt

Auguria votis; Eja! Jam reddar mihi,
Veterſqve reddi gloriæ Austriaci datur
Robore Tonantis, Cujus auſpiciô brevì
In Carolinæ redeo, qvin jam jam volo
Aqvilæ Triumphos. Sed qvis heu! noſtro impetus
Capiti minatur? ſiſte, qvò properas chalybs?
Grandine qvid urges ferreâ erectas ſolo
Æqvare moles, atqve fulmineis viam
Moliri in Urbem machinis? ultro ſinum,
Et aperta tendo brachia; Huc! adeſt meus!
Qvin ſi Catervas ire per laceros juvat
Urbis lacertos: Ite! nîl ſtrages moror;
Proprijs labaſcat obrutum qvamvìs decus
Sublime frontis ſtragibus, tantâ placent
Mercede clades: nempe Carolinos juvat
Etiam favores mille per mortes emi.
Sed jam propinqvô claſſicum Ultrices ſonô
Exſtimulat iras, propiùs armatas movent
Aqvilæ phalanges; Jámqve Carolinos volant
Secuta nutus Agmina: effractô putes
Volitare Tygrides compede, aut raptis agi
Catulis Leones. Parte, qvâ celſum caput
Collis ſuperbô * Jovius attollit Jugô,
Avida cruoris fertur in pugnas phalanx;
Furit ira ſævùm Tevtonis, totis volat
Imber procellis ferreus, telis fremit
Miſſilibus aër; arma pars timidos rotat
Fulminea in hoſtes, pars giganteas manu
Victrice lacerat aggerum, & ſternit vias:
Pars pertinaces rupium aſcenſu, & minis
Præcipitat iras, ad reluctantem petris
Scandit ſubactis aggerem: effractis labant
Saxis catervæ Floridæ: excedit locô

* *Fortalitium, Mons Jovi dictum, Duce Darmſtadiô occupatum.*

Mox

Mox Barcinone, ferre CAROLINAS cohors
Indocilis iras; * Eja! procubuit Jovi
Dicata rupes, Gloriæ poſthac Tuæ,
CAROLE, ſacranda. O! Inclytum Auſtriaci Jubar,
CAROLE, decúsqve Nominis! munus TUUM eſt,
Virtute cujus priſtinam lætâ comâ
Attollo frontem; qvósqve, per qvinas propè
Tulimus ariſtas, compede alienô graves
Stringi lacertos: Jam Tuis fultos datur
Erigere rurſus Gratijs; mœſtæ procul
Abite noctes luctuum, tandem novum
Illuſtre Sidus Auſtriæ Heſperijs diem
Accendit oris CAROLUS, orituræ Jubar
Felicitatis Gloriæ in cenſum vehens.
Io! Vive Victrix AQVILA! Catalauni qvoad
Sublime culmen Barcino ſtabit Throni,
CAROLE! *Corona* Gloriæ ſtabit TUÆ!

** Captâ Petrâ Jovis, eódem die, Barcino in deditionem venit.*

An
CORONA EXALTATIONIS?
Certè
Ipſam *Exſultationis* Sedem
COR in CORONAM,
Se ipſam Victrici AQVILÆ, explicat
Catalaunia:
E Geographorum Senatûs-Conſulto,
Montium indè Pyrenæorum faſtigijs,
Hinc Ibero junctis Mediterranei ſpatijs,
In vivam propè humani *Cordis* imaginem figurata.
Tantæ molis erat!
Ut in formam *Cordis* efformaret Natura,
In qvod affectus ſuos concentraret Iberia:
Imò affectuum Orbis Centrum,

CAROLUM III.
Locaret Catalaunia, reciperet Barcino:
Bis utraqve CAROLINIS fortunata Auſpicijs:
Priùs, cùm CAROLO ſubderetur,
Iterum, nè eriperetur.
Eja *Victrix AQVILA*
CAROLE!
Gratijs, & Favoribus TUIS
Catalauniæ COR ALE:
Et dum ſub TUIS *Corda* omniũ *exſultant* Auſpicijs,
Rex omnium,
Nunc *Cordium*,
Deinceps Regnorum,
Recipe
тIbI eX CorDe CoronaM:
Qvæ Exaltationis eſt TUÆ,
CORONA
Jam EXSULTATIONIS eſt Suæ!

Epigramma
De Barcinone, & Catalaunia.

Sunt *Abila* Herculei cum *Calpe* meta laboris:
Hìc conqvievit Hercules;
Herculis *Auſtriaci* Calpe Victoria * prima eſt:
Hìc inchoavit CAROLUS; * *In Hiſpan:*
Plùs ultrà! Geſtans *Oleam*, *Clavámq;* *RUDOLPHI*,
Per Æqvor Alis remigat:
Ceſsítqve *Auſtriaca*, ceſſit Catalaunia *Clava*,
Dum nuper icta fulmine
Se ſe ſub Pennas AQVILÆ, Laurúmqve recepit
Bellona Barcinone.

NU-

NUMERUS X.

Mediolanum cum ſuo Statu

VICTRICI AQVILÆ

CAROLO III.

Regi Catholico

Seſe dicat in

CORONAM DECORIS.

Ezech: 16. 12.

ODE III.

Ales Qviritum clange! non poſthac meis
Ales alia canet mœnibus,
Et concitata, lugubres præter ſonos,
Procraſtinabit tædia.
Cantu ſub alio ſæpe, qvàm mœſtum! meis
Aurora rubuit Civibus:
Fusúsq; ab AQVILA ſangvis appinxit qvoq;
Ipſi rubores Æmulo;
Hinc rubuit etiam criſta. Sed cur ad melos
Tam diſſonũ AQVILAM provocat?
Exercitûs concuſſit Alas proprij
Cantans Sodali Claſſicum;
At acriores muſicô pœnas luit,
Cum Delio qvi luſerat:
Vocem ad TURINUM perdidit. Raucus meis
Cecinit in oris hoc melòs:
*Criſtã̆** Urbis in AQVILAM erige; *Urbanũ̆* licèt *Caſtellum.
Tevto tibi *Corpus* ſubruat:
Memor *Colubri* vive, qvô * *Scutum* occupas, *Inſigne.
Capútqve prudenter fove;

Caput reſerva Civicum, *Caſtrô* tuæ
Vitæ medullam contine.
Ea dum recantat: æmulum ſuper ruit
Ferientis AQVILÆ fulgetrum:
In gutture ſonos opprimit, & alis procul
Removet cruoris purpuram:
Phæbíqve amica vultui, inducit merô
Victoriam pulchram die.
AQVILA Triumphans clange! non poſthac meis
Ales alia canet mœnibus:
Aurora nec cruenta terrebit, merus
Sed Sol beabit incolas.
Invicte CAROLE, Mediolani decus,
Splendor cis Alpes Galliæ:
Viciſti! in illô Gloriam plantans ſolo,
TIBI qvod virebit perpetim;
Viciſti! id omne pedibus adſterno Tuis,
Qvod voluit hoſtis erigi;
TIBI cum Ducatu, poplite affuſô, Status
Omnis meus ſe ſubjicit.
Sed Laureato qvalibus nexam dabit
Dextris CORONAM Vertici?
Huc Gratiarum convola ad nutum Trias,
Sertum rotunda ſplendidum:
Huc uniones congrega; conchas jube
Huc adnatare, qvamlibet
Gemmis gravatam; pange Gangetis ſinum,
Atqve reſes aurum collige:
Impende Eoum fertile Adamantûm mare,
Terreſtriúmqve ſiderum
Affer pyropos, atqve Chryſoliti decus,
Et qvidqvid Orbis gratia eſt:
CAROLO in Coronam necte, Pyrgoteles cui,
Nec ipſe par ſit Dædalus

Com-

Compaginandæ. Defer hanc REGI meo,
Iberiæqve CAROLO:
AQVILÆ Triumphis Inclytæ; Cujus fovent
Alæ benignè ſubditos.
Imò meus Ipſe fulgidâ cinctus caput
* *Serpens* CORONA, innoxius, * *Inſign.*
Pedésqve lambens, séqve per *gyrum* rotans
Adblandiendo ſibilet:
TVI Corona sVM DeCorIs.

Epigramma
De occupata Inſubria
AD SERENISSIMUM CAROLUM.

Herculis enumerat Duodenos Fama labores!
Plurima Virtutis ſtant documenta TUÆ;
Eripis Inſubriæ Caſtella proterva: dediſti
Plures antè Probas: Hæc Generalis erat.

NUMERUS XI.

NEAPOLIS
VICTRICI AQVILÆ

CAROLO III.

Regi Catholico

Seſe dedicat

In

CORONAM GLORIÆ.

Jſ: 28. 26.

ODE IV.

Jam *Nea*-gaude-*Polis*, & Triumpha!
Qvam vetus Claro celebravit Orbis
HESPERO Sacram; Calabriqve veſtros
Jungite plauſus!
Jam novô fulges radians honore:
Neâpolis digna es meritò vocari,
Qvando felici redeunt revecta
Gaudia Sole.
Sqvallor has ingens ſpoliavit Oras,
Antè felices, Regione totâ
Fuſus, & tetris juga mœſta nimbis
Flere coëgit:
Flere, ſed luctu minùs uſitatô,
Qvô ſolent rupes, ſterilésqve campi
Meſſe ab hoſtili geminare ſigna
Sqvalida planctûs.
Non lubet Priſcos memorare luctus,
Non recordari veteres qverelas;
Nuper afflictos ſatìs eſt gementis
Pandere vultus.

Exte-

Exterô Totum trepidare Regnum
Cœperat Ferrô, Pavidæqve Genti,
Si fidem adverſis Labaris negaret,
Fata minari.
Urbis hìc omnes reſerare portas
Juſſa ſum; nec ſat capitale crimen
Eſt, peregrinum niſi fronte Sceptrum
Civis adoret.
Indè Germanis celer Auſter oris
Prævolat Famam: gemitúsqve narrans
Cæſaris campis, AQVILÆ calentes
Suſcitat iras;
Hinc novis tandem relevata pennis
Napolis, gaudens AQVILÆ ſub umbra,
Jam nec antiqvos memini dolores:
Jubila pango:
Millies felix! iterúmqve felix:
Millies! (ajo) CAROLUS! ſalutis
Unus in noſtris memoranda terris
Gaudia pandit.
Urbe ceſſerunt: properántqve in agros
Ocyùs velis patrios reverti, ab
Auſtriæ Campis fugiunt propinqvam
Lilia falcem.
Eja! bis denâ ditione Regnum,
Eja! bis denos ſociando niſus,
Qvotqvot in noſtris habitatis Oris,
Dicite plauſus!
Ille *Victrices AQVILAS* receptis
Intulit Caſtris, docuítqve clarum
Lumen immotis oculis fideles
Cernere gentes.
Io! condignis merito Triumpho
Gratibus, pulchrum Diadema Veſtræ
Aliti junctis famulæ parate
Viribus Urbes!

 Su-

Sume ſummiſſi ſociata Regni,
Qvæ TUÆ æternùm ſtudioſa poſthàc
GLORIÆ, vivent CAROLO Sacratam
Corda CORONAM.

Applaudunt Portus, Et Urbis Caſtella.

Invictus (Tormenta tonant) eſt Cæſaris Ales!
Echo ait: Eſt *Victus*, qvi celer indè fugit.
Sic eſt: feſtivô reboënt mortaria plauſu!
Invicti poſthac CAROLE Nomen habes.

NUMERUS XII.

Sardinia è Sardis
VICTRICI AQVILÆ
CAROLO III.
Regi Catholico
Nectit
CORONAM DIGNITATIS.
Prov. 16. 30.

ODE V.

Jam Te qvietô Regna ſilentiô
Ultro reqviruat, Maxime Principum:
Abſiſte Bellator timeri;
Da ſpatium, tenuémqve Francis

Mo-

Digitized by Google

Moram repulſis, dum, poſitô malè
Vultu, ſuorum funera computant,
Doléntqve, mirantúrqve de ſe
Tevtonicis licuiſſe tantum
Impunè fatis. Jam TIBI ſternitur
Sardoa Tellus Claſſibus integris:
In grande vectigal propinqva
Subjiciunt TIBI Sceptra Regna.
Non una Palma hìc, non TIBI fronduit
Hìc una Laurus: qvotqvot amœniùs
Ramis vireſcunt, in CORONAS
Ire parant, madidámqve poſcunt
Umbrare Frontem. TE Calaris petit,
Qvô cingor, Altum fluctibus annuit;
Nec angvium morſus, lupíve
Ora time: his nocuis caremus.
Propinqva nuper jam TIBI Neâpolis
Trophæa fixit. Nos TE (Alemannicis
INVICTE Turmis, Inſulanæ
Unica, CAROLE, Gemma gentis)
TE nunc avemus, Sidus amabile!
O! noſter eſto Pacifer Hercules:
Et DIGNITATIS SERTA carpe,
Mille metris venerande Princeps.
TIBI Secundô porrigit Alite
Ichnuſa* *Cor*, jam nutibus additum
Pectus, paravit glorioſum
E Patrijs Stephanoma Sardis;
Gaudebit Almo imponere Vertici:
Latéqve ſiſtris dulcè ſonantibus,
TUIS Triumphis deſtinatum
Præcipiet reſonare carmen.

*Sardinia.

Inſuper Terræ, & Maris ſui Cor
Devotiſſimè veneratur
IN
SERENISSIMO CAROLO III.
HISPANIARUM REGE,

Alludendo ad Anagramma
CAROLUS; COR LAUS.

Epigrammate:

Cùm Divinorum teſtentur carmina Vatum:
Ecqvis *Cor Terræ*, *Cor* neget eſſe *maris?* Pſ. 45.
Nunc igitur Cordi Corpus formemus utriqve:
Sint Cordi Terræ membra, marîſqve ſua;
Imò, qvod CAROLÔ caruit mare, *Corde* carebat,
TEqve carens Tellus hæc ſinè Corde fuit;
Nunc Tua qvando TIBI redduntur *Regna*: *Fretúmq;*,
Terráqve TE *Cor* habet, *Cor* qvoqve *Corpus* habet.

NU-

NUMERUS XIII.
Majorica, & Minorica,
Gemellæ Baleares ad Orientem ſitæ :

Bellicis caloribus æſtuantes
Sub Umbram
VICTRICIS AQUILÆ
CAROLI III.
Regis Catholici
Inclinantur cum Muneribus ;
Ad illud:
Inſula Munera offerent ; Pſ: 71.
GEMELLÆ GEMINUM:
Myrrham, contriti ob receſſum gemitûs,
Thus, Devotiſſimæ adorationis,
Et ſe ſe dedicant
In
CORONAM FRATRUM.
Eccl: 50.

POEMA IV.

Qvid qvòd ad inſvetos Oriens, oculatior Argô,
Cæcutiît radios? cur non magè pronus ab Ortu
Venit, adoravit? *Signóqve loqvente*, recentis
Adventum CAROLI Regalia munera fundit,
Atqve ſuo ſeſe Capiti per membra reclinat?
Cerea ad Imperium, Victricem aſpirat ad umbram
Alarum, geminus Regum de ſangvine pullus,

Inſula, fraternô qvas nomen nuper amore
(Nî geminas malis tenerè appellare ſorores)
Vinxerat: Una *Minor*, natu dicta altera *Major*:
Hæc petit umbroſos AQVILA tutante regreſſus;
Et veluti venerata DEAM, documenta relinqvit
Grandibus ignaris, qvâ ſint ab origine nati. (tis,
Nec mora: MYRRHA cadit, pretioſa, dolore gemen-
Munera VICTRICI: (ror?
Heû! (gemit *Illa* redux) qvis me malus abſtulit er-
Qvis mihi Mercurius, qvis lumina Sole ſub Illo
Exuit, & fulgenti occaſum invexit in ortu?
Tantâne me Patriæ tenuêre oblivia gentis,
Tantâne me Generis? fuit ille graviſſimus error,
Qvòd gravis haud eſſem: natales ſtulta negavi
Ipſa meos, dubio commiſi carbaſa vento!
Degener à parto Majorum, *Major*, honore,
Majorúmqve pudor: tótqve inter lumina grandis
Noctua, nativos non novi ex ungve *Leones*,
VICTRICESQVE Domûs AQVILAS!
Non parit imbelles Aqvilina propago columbas:
Nec qvævis Grandem Volucris valet edere pullũ;
Fortibus eduntur Fortes; ex ſtipite pomum
Noſcitur, & parili proles generoſa Parente.
Execror errorem, vicinis docta perîclis!
Sic culpam retego! Veniæ jam lumen in umbra,
Et gemina è geminis fiducia naſcitur alis.
Antiqvam perſolvo fidem, fidúmqve perennis
Officij pignus Regalia munera porto,
Muneribúsqve meis Majus Me ſacro: TUUM ſit,
Offuſum pedibus, VOLUCRIS Jovis INCLYTA, pullum
Dum relevas, placidâ luctum ſoleris ut umbrâ.
Dixit, & erectam ſeſe per viſcera ſenſit,
Totáqve momentô vixit. Cura una necabat
Solicitam, malè fauſta ſoror: (qvam candidus uſqvè
Implicuit viſcus) ſed inanes excute curas,

Exem-

by Google

Exemplô curata tuô eſt. Tu pignora pacis,
Amplexúmqve para: geminis tum viribus ultra
Communem Majeſtati date Munera ſortem;
Ingenium ſuperabit Opes, pietásqve, fidésqve.
Nondum Majorcæ vox Vatis lapſa per aures:
Exiliit plauſus laxans! arctóqve Minorcam
Stringens complexu, geminis concludit in ulnis:
Eja Soror, Ter fauſta Soror! *renovemur in umbra*!
Poſt æſtus Belli! geminas AQVILA explicat alas:
Heſperiæ Orbem, & nos non excluſura Gemellas!
Dixit, & optatam Geminis dedit umbra qvietem.
Mollè ſedent pariter, FRATRŭ nectúntq; CORONAM.

Atqve hactenus æſtu maris, Et Belli circumdatæ, in umbra AQVILÆ CAROLINÆ, *(Alludendo ſimul ad Aqvilam Sidus cæleſte) Amenè ludunt Epigrammate.*

I.

TE *Tecta Tuta*: Neptunus ùt æſtuet, & Mars:
Æſtibus his ſemper *par* erit *umbra* meis.
Naufragium metuant alij; Tutæ Sumus *Iſtô*
Sidere: *Ter* nobis *Stella Secunda* micas!
Sed *Minor*, & *Major* dum ſe Inſula ſubdita donat:
Utraqve VIRTUTI fit *minor* illa TUÆ.

II.
Majorica ſubjecta CAROLO
Annô 1706.

Cur hoc me Sæclum *Sextô* TIBI reddidit annô?
Crede mihi, *Cæſar*, *CAROLE*, *Sextus* eris.

III.
Minorica ad Orientem, reſpiciens Auſtrum.

Hanc ſeqvitur *Minor*, affinem bene reſpicit Auſtrum:
Auſtriacam Dominam qvòd ſciat eſſe *Domum*.

IV.
Alluditur ad Inſigne Inſularum Balearium.

Hactenus inſtiterat *Qvinis* Inſigne *Columnis*:
Nónne bene *imparibus Sexta Columna* venit?
In CAROLO SEXTO *Sextam* ſpectabimus: imò,
Qvo ſinè non licuit, jam licet eſſe *Pares*.

NUMERUS XIII.

Leo Hiſpano-Belgicus

VICTRICI AQVILÆ

CAROLO III.

Regi Catholico

Defert CORONAM *VITÆ*.
Apoc: 2.10.

ELEGIA II.

Huc! qvæ magnanimis ubicunq; habitatis in oris,
Turba, Leoninâ voce vocata veni!
Martius Heroô qvam limite cinxit horizon,
Huc! etiam Cadmô nata propago veni!
Huc! Bellona ſuis qvem ſcripſerat Hectora faſtis,
Alcidémqve, duo Nomina magna, voco!
Huc adſint! qverulos generoſi ſangvinis artus
Mœſti ſangvineô Luminis amne rigent!

Heli-

Heliades! Niobe! planctus ſociate gementi,
Irriguæqve pluant, imbre dolente, genæ!
Rugio lugubris, non intono Claſſica! vox eſt,
Prodroma qvæ magni funeris eſſe ſolet.
Nec pudeat ſocium mœrore fuiſſe Leonis,
Et tantis luctum conſociâſſe labris!
Impexis mea colla jubis exaſperat horror,
Vix loqvor: ex oculis ſigna doloris eunt.
Nec ſunt hæ lacrymæ Cypariſſi è gente Nepotum,
Qvos decuit molles ducere corde ſonos;
Sum Leo, ſangvineis Martis nutritus arenis,
Fundo, qvas guttas Fama, labórqve ciet.
Noſco Leoninas Proavorum in origine cunas,
Non nego, ſum genitus, Patre Leone, Leo.
Regia me Dominum genuit Natura ferarum,
Et Rex, Aſtræâ judice, ſemper eram.
Dúmqve libraretur cum ſangvine gutta laboris:
Imperio veteri juſta ſtatera ſtetit.
Nec mihi præ dicto fuerat pretioſior humor,
Qvàm qvô diluerat martia turba ſitim.
Jam cruor absqve calore fluit, ruit, ſnq; putrentes
Ille Leoninus diffluit ignis aqvas.
Heû vos in facie geminos, mea lumina, Soles!
Qvæ nigrô eclipſis vos tegit umbra peplô?
Conqverar, & mœſtos tollam ſuper æthera vultus,
Lingámqve hirſutas, ore gemente, jubas?
Non qveror exilium, Libycis qvaſi pulſus ab oris,
Nec mea vix meritæ funera plango necis.
Non rubus infirmam confixit arundine plantam,
Androdi medicam qvæ petat ægra manũ. (gæ,
Hoc qveror, hoc lacrymor, gemitus attendite Bel-
Qvæqve pius patriæ defleo damna meæ:
Funeſtam Heſperiæ (miſerandùm) lugeo ſortem,
Rege Corona caret, ſunt ſinè Sceptra Duce.

Sceptra valete, Corona vale, Diadema! cupreſſus
Temporibus ſit abhinc digna Corona meis.
Húncce Triumphalẽ circumdent ſerta Monarchã?
Me fatum, & fati vulnera mille vocant;
Sic ait emoriens, claudénsq; oculos miſerè inqvit:
Hoſpes veſter erit, qvi priùs hoſtis erat.
Plena prior fuerat vox Majeſtate Leoni,
Nunc labium digitis, hoſte canente, premo.
Exuvias ponam, veteris ponam ora Leonis,
Balabo, ad lanam dum cadit, inſtar ovis:
Velleris Aurati, perijt vectigal honoris,
Aurea plorabo funera mitis ovis;
Olim Belgarum vulgata eſt Fama per orbem
Impavidúmqve ſagô, Pacificúmqve togâ:
Et velut Elysijs, veſtris ſpatiabar in arvis,
Dum fuit Auſtriacus fœdere junctus ager.
Lilia jam bellis ſterili dominantur in agro:
Iſta ferent nullas lilia, credo, roſas:
Deſpectus qveror hæc: eſt raptus, credite Belgæ,
Auſtriacus, noſter qvi fuit antè decor.
Aurea ſub rigido fluxerunt ſecula ferro;
Nunc ceſſi: & threnis arma, togæqve gemunt.
Dextera, qvæ fuerat Regalis bajula ſceptri,
Nunc eſt funeream ferre coacta facem.
Túqve Leonini fueras qvi ſcriba triumphi,
Nunc Veſpillo mei funeris ungvis eris.
Et jam ſupremùm patrias convertor ad oras,
Triſtia fata citant: Belgica terra vale!
Hæc in Mnemosynon tibi ſint documenta Leonis,
Cæſaris obſeqvijs officioſa mane;
Qvódq; inſigne tuum ſervavi fidus Achates,
Hoc Regi, rogo, pro Cæſare redde tuo.
Suſpiro Auſtriadûm tragico pro funere Campos,
Hi, Mauſolei gloria, membra tegant.

Jam-

Jámqve fatiſcentes Atropos concludere fauces
Tentat, Letheum Portior urget iter;
Horrendùm trepidat, convellitur undiqve, totô,
Neſcio qvis, fœdùm corpore morbus ineſt;
Attollítqve oculos mediâ plùs morte natantes:
Dimidiâ nec enim parte ſuperſtes erat;
Murmure, qvô ſurdas potuit perrumpere cautes,
Immugit, ſuperam ſic moriturus opem.
Ecce tibi ſubitò miſerantia Sidera ſortem
Adſunt; viſáqve ſunt Aſtra dolere vicem;
Augurium felix: ſuperis deſcendit ab oris,
Propitijs Aſtris advolat imò Salus. (CREM;
CÆSARIS ARMIGERAM (Jovis inqvā) cerno VOLU-
Fulmine non terret; Qvæ medeatur, adeſt;
Protinus amiſsæ redière in priſtina vires,
Atqve omnis ceſſit, qvi fuit antè, dolor.
Erigit, & revocat fugientem è corpore vitam,
Solvit & intentæ ſtamina Parca necis.
Et novus inferijs dum ſpiritus incalet artus,
Vult Leo depreſsô membra levare ſolô;
ALITUUM REGINA prior ſe fulminis inſtar
Demiſit, celeres ſuppetiáſqve tulit.
Ac veluti rediens *Aqvilina* Juventa Leoni,
Gratum ſic AQVILÆ prompſerat ore ſonum.
Per TE ſtat Diadema meum, Victoria, Palmæ,
Sceptráqve, Libertas, Gloria, Vita, Salus!
AUGUSTAM veneror: qvæ reſpicis, Æmula Jani,
Bifrons Phoſphoreas, Heſperiáſqve plagas.
Qvàm bene Majeſtas ſupereminet edita terris,
Tanta ſuo ut videat Regna ſubeſſe Throno.
Cui nihil indulſit ſors, nil natura negavit,
Felix Imperij Conditor Ipſa Tui es.
Suſpicio magnas Alas, à fulmine belli
Tutamen Patrij, præſidiúmqve ſoli.

Jactet Roma ſuam Capitolij in Anſere ſortem:
Auſpicijs Aqvilæ Belgica fama volat;
Tecum Palladium, *Tecum* eſt Ancile Trophæis,
Tecum noſtra ſalus, proſperitáſqve ſtetit.
Si qvis de noſtra *Tibi* poſthàc ſtirpe rebellis
Vixerit, indignus dicier eſſe Leo:
Auſtrius Alcides aderit, Samsónqve jubata
Supprimet Herculeô colla ſuperba jugô.
De *Forti* pretioſa fluet *dulcedo* Triumphi,
Atqve Leoninus *de comedente cibus.*
Mecum ſint *Aqvilæ, Carolini* Inſignia Sceptri:
Et ſic Cæſareô munere fultus ero.
Dixerat; ecſtaticúsqve velut, qvaſi maſticat ore:
Carolus! & Carolus! proloqvitúrqve ſimul:
Naſcuntur Flores inſcripti nomina Regum,
Noſtris Qvos terris Auſtria Flora dedit;
Car: V. nat: Gandavi. Cunis Gandavum * *Carolinis* Inclyta gaudet
Urbs, tanti Patrium Cæſaris eſſe ſolum. (*mus,*
Nomine *Qvintus* erat, ſed erat qvoq; nomine * *Pri-*
* *Primus hôc nomine Rex Hiſpaniæ.* *Tertie* Tu, *Cæſar, Térqve ſecundus* eris.
Carole! *Te* Magnum reſonant mea littora Nomen,
Omne velut ſonuit murmure littus: Hylas!
Nomina conturbant hoſtem *Carolina*, Triumphos,
Qvos habuit *Qvintus*, jam putat eſſe *Tuos.*
Hæret adhuc Belgis *Carolina* Potentia faſtis,
Invicti loqvitur Bella Moſella Ducis.
Si Pietatis erat, Virtus, emblema, Leonis:
Æternâ *CAROLI* ſum Pietate Leo.
Si qvondam Androdum Leo ſum comitatus, amori
Vindicis *Auſtriaci* qvæ meus addet amor?
Baſio Regalis pumilus veſtigia greſsûs,
Et, canis ut Dominum, ſic comitabor Herum.
Jam minitabatur triſtes ſors aſpera noctes,
Auſtriacô eſt *Vita* redditus axe dies.

Vivi-

Vivificantem *Aqvilam* langvens ſibi corpus adeſſe
Senſit, qvod gelidum penè cadaver erat.
Sternere multorum eſt: *Vitâ* donare Leonem,
Solius labor eſt Herculis A*uſtriaci.*
Non mea *Vita*, TIBI, qvam vivo, debeo *Vitam*,
Nutibus æternùm ſtóqve, cadóqve TUIS:
Tótqve Coronarum Capiti ſubmitto *Coronam*
Vitæ; Qvod *Vita* eſt Una *Corona mea.*
Par Caput Imperio eſt, tantis ſuppárqve Coronis,
Cûi Famæ, & *Vita* prona *Corona cadit.*
Finijt Jambô:

DetVr hæC RegI Meæ
Corona VItæ!

Sic revixit Leo Hiſpano-Belgicus,
Et velut redanimatô ungve reverenter
VICTRICIS AQVILÆ
Amantiſſimo Pectori,
Alludens ad Anagramma
CAROLUS, COR LUAS,
Inſcripſit

Epigramma:

COR LEOPOLDINUM qvòd adhuc ſubmittere *Turres*
Se nolint AQVILÆ, CAROLE, Túne *LUAS*?
COR JOSEPHINUM: Qvòd Iberica Regna, Coronæ
Legitimum renuant, Túne Monarcha *LUAS*?
Eſt bona Juſtitiæ, bona, CAROLE, cauſa triumphat:
Qvi mihi *COR* CAROLUM vis rapere Ipſe, *LUAS*!

NUMERUS XIV.

SERENISSIMA
ELISABETHA
CHRISTINA
VICTRICI AQVILÆ
CAROLO III.
Regi Catholico
MVLIer DILIgens Corona.

Prov: 12. 4.

Annus Sereniſſimæ Deſponſationis.

ODE VI.

FLOS eſt Heſperidum in plagis
    Florum Delicium, qvô topiaria
Pindi nîl pretioſius,
    Campíve Elyſij, aut collis Apollinis
(Surgens vertice duplici,
    Et plectrô, & lituô, & carmine perſtrepens)
Servat nobilius nihil;
    Eſt Floræ areolis nîl magè Regium:
Ortus *Sangvine Principum*,
    Ac *Ceris* radians *Nobilium Patrum*.
FLOS eſt Nomine * REGIUS,
    Qvi circum-ſpeciem-fert *Diadematis*:
Totus cingere Tempora,
    Et *Regis* cupiens *Fronte* qvieſcere;

* *Dictus Corona Regia (Imperialis alijs)*

Qvem

Qvem * Mediterreus alluit *Ad Barcinonem.*
Dives gemiſeris pontus arenulis;
Pactoli pretiô gravis
Tempeſtas rigat, & Nereidûm Pater
Se largô ingerit alveô:
Ut non congenitus deficiat vigor.
Hic inter CAROLUM SACRI
Sanxit CONIUGII Fœdus amabile:
Et ſe CÆSAREÆ Comæ,
Nexu perpetuô, miſcuit Aureus.
Felix FLOS MULIER! Caput,
Ipsâ TE redimis *Conjugis Auſtrij*,
Et Fronti decus inſides.
En! qvantus faber eſt, qvalis *Hymen* faber!
O! qvi Pieridum choros
Frænas imperijs, ſacra biverticis
Parnaſsiqve regis juga,
Cujus nutu Helicon, dum movet hydriam,
Plenô diffluit æqvore:
Nervos per cytharæ pollice inambula,
Et molli digitô feri!
Huc greſſum Charites, Deliciæ Deûm!
Nimbum Puniceum Roſæ,
Imbrem ter Niveum ſpargite Lilij,
Totóqve Euphroſine ſinu
Fragrantis Violæ affundito Purpuram:
Qvidqvid vel pretiô valet,
Vel vibrat radios, nectite *Laurea*,
Fulget qvæ CAROLI Comis!
* Panchrus Heſperidum O! Gemea ELISABETH!
Flos, & *Gemma* Coloribus
Virtutum rutilans jugiter Omnibus:

CAROLO ELISABETH
MVLIer DILIgens Corona!

Epigrammata:

I.

Naſcitur in clauſis argenteus unio conchis,
Unio, Candorem teſtor, ELISA fuit.
Tanta maris neqvijt tumulari Gemma profundô,
Scandit ad Heſperium Geměa SPONSA thronum.

II.

Cingit, ut intueor, victrix tua tempora laurus,
CAROLE, & Hiſpanum Rex Diadema geris.
Aſt ut in Hæredum ſedeas, Pater Alme, Corona,
Propitiô Auſtriacis Numine, ELISA dabit.

III.

Diſpulit adverſæ ſortis mala nubila Conſors,
Delicium CAROLO Sponſa Serena fuit.
In Qva ſuſpexit mons, qvi ſupereminet Urbi,
Junonem: CAROLUM credidit eſſe JOVEM.

NU-

NUMERUS XV.

URANIE

Videt Hæreditaria Regna,

Cum adpertinentibus Provincijs,

Abire

SERENISSIMÆ AQVILÆ

CAROLO III.

Regi Catholico

In

CORONAM STELLARUM DUODECIM.

Apoc: 12. 1.

DITHYRAMBUS:

Impunè, qvi non arſerit, nemo tulit
Solem protervus; Nec Clymenëium,
(Auriga qvi currûs paterni
Auſus ſe temerè non noto credere cælo)
Vibratis Jovis eripit ignibus
Mœſti Parentis orbitas.
Mirata cadentem,
Fluctibus Thetys meritis prehendit,
Involvitq; undis ultricibus igne crematum.
Tantum Regna fuit nefas
Phæbea leni vel pede tangere!
Caucaſum ſenſit, jecur exedentem
Senſit volucrem, qvi Superam (ſcelus!)
Impavidô tulit ore flammam.
Nîl aliena movent damna, volentem:

 En-

Digitized by Google

Entheus me, me ſacer urget ardor
Per ſimiles certâ casus tranſire ruinâ.
I Muſa felix !per Superûm atria,
Qvà jubæ terrent Leonis,
Scorpijqve ſudor atrô
Riget venenô: Qværimus CORONAM,
Eja! STELLARUM CORONAM
Glorioſo Vertici!
Qvis me infuävi murmure retrahit?
Ibo per obſtantes, cælô minitante, phalangas,
Per mille certa funera.
Occumbo fatis? Sic amor urget.
Qvin tutus ille, regna per invia
Vivis, atqve ipsô fertur Olympô: (bis;
Qvi comites ignoti AQVILAS aſſumpſerit Or-
Ignibus compeſcet ignes
Fulminum, & Jovis Miniſtra.
At me qvis error? Ludor imagine
Falsâ ſub veri ſpecie, mentémqve repellit
Inſoliti via nulla voti!
Scilicet obriguit tacito ſub pectore fervor,
Dum non mortalia qværo;
Mole corporis ſolutæ
Æternæ dabitûr
Carpere Serta Domûs.
Hinc temeræ procul ergò mentis
Curæ fugaces ite: non ardor placet,
Qvẽ non ſub ulnis certa complexa eſt Fides.
Gentilitatis (tollite nænias)
Conjuncta non eſt AUSTRIA ſomnijs:
Sunt altera nobis Claud: de Ra- pru Proſerp:
Sidera, ſunt orbes alij:
Hæc æternæ Lucis imago,
Sidereæqve polorum
Excipient AQVILAM CORONÆ,

Qvan-

Qvando irreflexô Lumine SOLEM
JUSTITIÆ vultu defixa tuebitur unô,
Illimibúsqve palpebris
Adſpiciet ſecura ſui; (pi
Tū PROLES genuina AQVILÆ çingêris Olym-
Flammulis (nec me pia ſenſa fallunt)
CAROLE, AVIS jungêre TUIS.
TEQVE olim cælo, ſpolijs Orientis onuſtum, *Virg. 1. Æneid.*
Accipiet ſanctus GENITOR:
Vocabere TU qvoqve Votis.
Tum poſitâ exultans *Stellis* radiante *Coronâ*:
O! Sangvis meus! ô ades! dicet:
PATRIS in æternam, FILI, ſuccede CORONAM.
Hæc olim attonito ſimilis mirabitur orbis,
Sublimi poſtqvam TE ſuper axe
Magnarum AQVILAM vehet *Alarum*.
Nunc aliam TIBI necto CORONAM;
Necto STELLARUM CORONAM
Puriore Dithyrambô:
Qvam minacis nulla Cori
Flabra decoqvant, nec Evri,
Turbulenta nubium pix
Fuſcet atrô nigra vultu, non premat vis fulminum;
Stellulæ qvot ſunt *Olympo*,
Hoc virenti *Regna terræ*:
Qvæ ſub alto fixit axe
Principum Lex Imperantûm,
Nec decore, nec nitore
His minora, qvæ ſupernô firmat Orbe Jupiter.
Mortuæ ſunt illa Lucis
Aſtra, ſolùm mutuatô
Cynthii fruuntur igne,
Orbitam ſi clariorem
Delius ſubvexit Orbi:

Palluêre; penè nîl ſunt! Nostra vivunt Sidera!
Seû rubenti purpuratur,
Nocte pulsâ, Phæbus oſtrô;
Vel ſupremô celſus axe
Auream flectit qvadrigam,
Aut Eois merſus undis
Fræna laxat per qvietẽ: Nostra Lucent Sidera!
Deliæ inconſtantis ora
Vah! figuræ multiformis
Inqvietem! nulla vultus
Hora mutat, ſed tenor beatus
Semper idem; qvalis undâ
Leniore per qvietem Nereus fert cymbulam.
Si procellam nube tetrâ
Terror hoſtium minetur,
Aut vehat tumultuoſus
Nubilorum turbo tela:
Ut minas poli, ſalſqve
Riſit inconcuſſa rupes: Nostra Rident Sidera!
Si tamen vibrantur ignes,
Ferreæqve turbulentus
Grandinis deſævit imber:
Innocenti tum furore
Colligunt in ora nubes,
Perſicisqve pro ſagittis mille torqvent fulgetra.
Crine flammeô rubeſcunt:
Et minacis ſyrma caudæ
Explicatur in Sariſſam;
Nullus hoc impunè vidit:
Miles hoſtium catervæ
Pallet: exangvisqve vultu cæpta damnat prælia.
Sic, ubi fulſit Cometes,
Numinisqve plenus irâ
Vindicaturi trementem
Pertinax afflavit Orbem,
Criminum piget ſceleſtos;

Proh!

Proh! pudor! DEO movere horrida auſos prælia.
Martios inter tumultus
Excidunt nunqvam ſerenâ
Mentium tranqvillitate,
Non opacat ulla nubes
Triſtiore nigra velô:
Lætiora qvin aguntur ſemper Alcyonia.
SYDERUM ſunt hæc meorum,
SYDERUM (fallor) TUORUM,
ARMIGER Tonantis ALES,
Patriæ Virtutis Hæres,
Gaudiúmqve geſtientis
Orbis, ô! Spes, & Voluptas!
Gloriæ ſunt Nomina.
Nî repellis Imperatrix
ALITUM REGINA Vota,
Nec moraris aure ſurdâ:
Illico in *jucunditate*
STELLÆ abibunt in CORONAM,
Palpebræ nictu *vocatæ*: *Ecce*, dicent, *adſumus*!
Emicans non flamma vultu
Terreat, *Flamma* eſt *Amoris*,
Uritur, non urit illa:
Nec morâre ſic Amantes!
Audior: conſentit ALES,
AUSTRIÆ Tutamen ALES, & renidens annuit.
Ergò *terreæ* nitelæ,
Luminum cæli ſorores,
Ite cultiore vultu,
Et nitore blandiore,
Qvàm Venus refulſit aſtris, (tias;
Qvàm renaſcens qvando cælum purpurat Pallan-
Præpeti motu citatæ
Advolate, pérqve inane

Ventuli ludentis aurâ,
Aut Eteſijs flabellis
Lentiorem urgete greſſum:
At Serenâ Luce Claræ, nè qva nubes hæreat.
Audio: leni ſuſurrô
Stridet aër, & Favonî
Mollis ala vellit auram:
Cernin! HESPERIIS ab Oris,
Aureas qvà fert arenas (*dinis.*
Unda, ſurgit *PRIMA Primæ STELLA Magnitu-*
Hinc venuſtiore luce,
Qvòd MARIS coruſcet ASTRO,
STELLA fulget, PANONUM qvà
Turget Iſter. Indè greſſum
Fert ſeqvacem, qvà tumentis,
Excubat, LEO BOEMUS, Albis inter Oſtia.
Ponè *Singulis ab oris*,
Jure qvas *Hæreditatis*
Reſpicit TONANTIS ALES,
Syderum labuntur ignes:
Flammulæqve ludibundæ
Curſitant, itérqve amicô fallitur certamine.
Qvis me amatus ludit error?
Jungitur Major minori,
Déqve multis *ter qvaterna*
In CORONÆ aguntur Orbem;
Jámqve ſtant ùt *fixa* cælis
Aſtra Gnoſſiæ CORONÆ, ſi qva Deliã ambiunt.
Nîl moræ: *Jungamur*, ajunt,
Tam venuſtulæ CORONÆ;
CAROLINA ſimus ASTRA!
Hæc ſuprema verba demum,
Innocens dum flamma circùm
Serpit artus, incalente jam labellô concinunt:
En TIBI *ter* in *qvaternam*, (RONAM!
CAROLE, STELLARUM lucemus *Regna* Co-
Tam

Tam miram Stellarum
In Coronam,
Aqvilæ Concurſum
Dum ſpectat URANIE,

SERENISSIMUM

CAROLUM III.

Hiſpaniæ Regem,

Ad Hungariæ, Bohemiæ, Cæterarúmq; Hæreditariarum
Provinciarum Diademata invitat

APOTELESMATE CABALISTICO:

Cæſareâ VIRTUTE PATRUM cape, CAROLE, Regna,
186. 694. 471. 69. 159. 133. Summa 1712.
Auguſti Præclara vocat TE Cæſaris Ales:
607. 251. 354. 105. 279. 116. Summa 1712.
Præſcia vulgandas TIBI ſpondent Sidera Palmas,
249. 563. 120. 389. 189. 202. Summa 1712.
Belligera adjunget Socios Aſtræa Triumphos.
149. 366. 292. 278. 627. Summa 1712.

Finivit Epigrammate:

Signa caput *Phœbi* bis ſex cingunt: TIBI in *Uno*,
CAROLE *Rex*, totuplex *Menſe* Corona venit;
Enumera Vates: nec erit TIBI *Apolline* Major?
Et qvot adhuc CÆSAR Regia Serta feret?

Digitized by Google

Porrecta Majeſtas ad Ortum
Solis ab Heſperio cubili.

Horat: l. 4. Ode 15. de Auguſto Cæſare.

Digitized by Google

PARS III.

AUGUSTISSIMUS

CAROLUS VI.

ROMANORUM

IMPERATOR

SOL

Virtute Suâ:

FORTITUDINE, & CONSTANTIA.

Digitized by Google

PERIOCHA
Partis Tertiæ.

Lapsô LVſtrô VnICô, Menſe Denô,
HerCVLes aDMIratVs Labores
VLtra CoLVMnas aDItos;
ab aVſtro aqVILaM aD CæLos
CVM atLante DetVLIt;
In soLe tabernaCVLVM aDornârant:
orbes pro CæLo,
regna In CIrCVLos,
sCeptra In raDIos,
Coronas In ſteLLas DesIgnârant:
et patrVM fVLgore, & tot ſpLenDens CoronIs
ab IMperII pLanetIs soL (CæsAr) aVDIIt,
festIVè CæLô gerManô appLaVDente!
DVCe IMperII bICIpIte,
ConVoCante aD ortVM heſperIâ,
oCeanóqVe MeDIterraneô: CongregantVr
gerManIæ regaLes, DVCaLésqVe,
aDsCItIs roMæ, & LatII aqVILIs,
et aD pontI LIgVſtICI OraM ItaLIæ
rapIDè festInant soLIgenæ aLItVM prInCIpes:
ortVM soLIs aDornatVræ CaroLo,
In soLe CaroLVM aDoratVræ,
aC DIeM reVeCtVræ
gerManIæ, pannonIæ, CzeChIæ DItIonIbVs,
Vnà orIentIs, & oCCIDentIs IMperIo:
DeCantatVræ paCeM eVropæ, & orbI.
soL CVM LIbra eſt: aſtræa pLaVDe!
In sapIentIæ, DeCorIs, & Coronatæ MaIeſtatIs aVge,
pVLsâ LVnâ, & noCte, Meros DIes
ab oCCasV aD orIenteM reVehet:
aD aVstrVM perennIter CresCent
fronDes paLMæ, LaVrIqVe reCentes.

IMA-

IMAGO SYMBOLICA PRÆLIMINARIS:

Glorioſus JOSEPHI I. Genius

SERENISSIMO

CAROLO III.

Hiſpaniarum Regi Catholico

Succeſſionem in SOLIUM,

Et CORONAS,

Indicat illô Claudiani de *3. Conſ: Honor:*

TV sVCCeDe MeIs.

EXPOSITIO.

TV (Sceptris) sVCCeDe MeIs, *qvatuórqve* CORONIS:
Qvas TIBI fert *Teuto, Panno, Bohemus, Iber.*

Ty NU-

NUMERUS I.
Poſt Occaſum SOLIS
JOSEPHI I.
Hæreditariæ AQVILÆ
AB AUSTRIA
AD SOLEM
CAROLUM
In Heſperiam convolant.

ELOGIUM I.

Qvid audio?
Poſt
* oCCIDVUM ** Anno 1711.*
In Auſtria SOLEM JOSEPHUM
Vox perſonat Barcinone in Heſperia:
- - *Me qvoniam Cæleſtis Regia poſcit,*
TU *Curis ſuccede meis.*
Claud: de 3. Conſ: Honor:
Et ad TE, Regum
SERENISSIME CAROLE,
Clangentes Hæreditariæ convolant Aqvilæ:
Exambitqve Tuos Aqvilis Victricibus Ortus
Patria; *Idem ibidem.*
Et nè SOL videâre ſinè Cælo,
Devinctæ Alites Auſtriæ,
Vetus Bohemiæ inqvilina,
Carnioliæ, Sileſiæ, Marcomanniæ, Tyrolis
Aqvilæ domeſticæ Cælum deferunt:
Siderum radios in ungvibus *aureis,*

Lu-

Lunaris Sphæræ argentum in cyclade *nivea*,
Firmamenti *cærulum* in plumis,
Ruborem Empyrei in pennis,
Viam *lacteam* in *candore* Faſciæ,
Cui cæteræ ſuos implicuêre ſplendores,
Ut id eſſent CAROLO,
Qvod Cælum, & Zodiacus SOLI.
Procede ſecundis
Alitibus, PHÆBIq; novos ordire meatus
Spes, Votúmqve poli! Claud: ibid:
Auguſtiorem SOLI Auguſtiſſimo
Aqvilæ Hæreditariæ augurantur Eclipticam
Præ monſtroſa Phæbi Orbita:
Dum ſupra duodena Solis Domicilia
Plura Regna, & Provincias
TIBI dedicant.
Bene eſt: Totus Orbis Regia SOLIS erit.
Nunc bajulæ deducite SOLEM veſtrum *Aqvilæ*;
Abſiſtite imò:
Non peregrè venit, Cujus Nomen Orbem incolit;
Luſtrat Heſperiam, ut illuſtret.
SEIPSO unam partem implet,
Radijs Univerſum.
Adeſt Patriæ; aut ſi abeſt:
Etiam Nox, adveniente TANTA SERENITATE,
Mox in Meridiem inclareſcet.
Ventura claruit Aſcanij poteſtas
Comarum ſplendore in apice;
Hoc commentum:
At TUA *Cæleſtes illuſtrant omnia Flammæ!*
Feſtinate Heroæ *Alites!*
Purpuras REGI, ARCHI-DUCI,
PRINCIPI, MARCHIONI,
MAJESTATI, dicerem, Gloriam deferte:

Niſì SOL SERENISSIMUS Gloriam
SE IPSO augeret.
Spera Patria!
Non ampliùs Gloria Trajani victura eſt:
Qvòd Purpuram in ſuorum Faſcias laniârit;
CAROLUS
Faſcium Purpuris medebitur:
APOLLO eſt!
Opiferqve per Orbem. *Metam: 1.*
Purpura qvævis Cortina Phæbi eſt,
Non eges Tripode Hæreditarie Orbis,
Nec Delphis:
Oracula in CAROLO audies.
Patere ſubinde
SOL Regum,
Ducum LUMEN,
SPLENDOR Principum:
Hæreditarias Coronas, & Mitras deferri,
Ut Tantæ Majeſtatis æmula Comitas
Noſcatur è Vultu.
Huc omnis Ales! ſuô
Temperet Aſtra Galerô.
Spectate Cives PATRIÆ PATREM,
Et acclamate:
O! Numen amicum! *Claud: in Prob. & Olyb: Con:*
Reget Patrijs Virtutibus Orbem.
Euge CAROLE!
Niſì oculis careret Fortuna,
Tota TUIS inhæreret obtutibus;
TE
Numinis in morem ſpectabit Patria:
TE videre, erit Beatum eſſe.
Vos verò Alaudæ Auſtriacæ,
Cognata Poteſtas,
Auſtriacorum Camporum Incolæ,

De-

Deferte è *Spicis* Coronam ARCHI-DUCI;
Jam olim SOL *Spicis* Coronatus inceſſit:
Qvòd RUDOLPHUS Habsburgicus adoraverit
Frumentum Electorum.
Idem ſpera in ARCHI-DUCE Tuo Auſtria!
Nec enim Spes Tua in ſola herba eſt.
Accinite Alaudæ CAROLO:
His ſua Regna videns numerabit *Ariſtis:*
Nunc Sceptra Alites!
Et SOLI Veſtro *Stylum* defigite:
Qvem SOL communis perfectô detulit annô,
Depoſuitqve Suas, TE ſuccedente, curules.
Claud: de Mall: Theod: conſ:
Clangite Aqvilæ!
Dixi: Jam Orbis Regia SOLIS erit.
Hôc SOLIS Auguſti ſtylô diſtingvetur
Ætas
Patriæ *Aurea*, & *Argentea*,
Hoſtibus *Ferrea*:
Annus erit *Jubilæus*,
Menſis nullus non *Auguſtus*,
Hora qvævis *Secunda.*
Adesdum & tu Aqvila,
Olim Bohemiæ Teſſera:
Ab Eclipſato nuper SOLE
JOSEPHO Primo
Mœrore languit Regale *Pomum*;
SOLEM exſpectat, ambitqve:
Heſperiæ Pomum eſſe geſtit,
DOMINO HESPERIÆ debitum.
Erravi: ab Heſperijs excipi mallet,
Dum Paridis Cenſorium
Non vult niſi *Pomum* eſſe *Concordiæ.*
Fenella Pomum *Hoſtibus*, telis fœtum:
Nam & ſuæ SOLEM ſagittæ decent,

Z z Si

Si *Pomum Hoſtis*,
In *Pomo Regem* voluerit contrectare.

Jámqve revertuntur Aqvilæ
Clangentes:

Ab Heſperijs Oritur SOL CAROLUS Oris:
3. 956. 519. 160. 444. 229. Summa 1711.
Fervetqve Auſtriadis irradiare plagis.
671. 584. 269. 187. Summa 1711.

Annus reditûs ex Hiſpania.

Dúmqve inter fatales umbras
Nuper Occiduum SOLEM vagè qværunt
Matutina Sidera, nec ob mœrorem fulgent: *Iisdem indicat*
Phoſphorus Novum propediem oriturum SOLEM,
Qvibus veterem reſumentibus ſplendorem
Inſcripſit Lemma:

IaM Vaga CæLo syDera fVLgent.
Seneca in Octav. Act. 1.

Expoſitio.

Occidit! Horrida nox! *Aliô* poſt nubila PHÆbô
Exoriente, *novâ* Sidera *Luce micant*.

NU-

NUMERUS II.

SYNCHARMA

SERENISSIMO

SOLI

CAROLO III.

Hiſpaniarum Regi,

Ab Heſperia Terris Hæreditarijs exorienti: Cui
Muſa Romano-Germanici Imperij habenas
Vaticinatur.

ODE I.

Sapphico-Chronoſtica:

Octo Qvem totis Catalaunus annis
Vidit in parvis habitare cannis:
Orbe ab Hiſpano referunt abîſſe,
Nos adijſſe.

FaMa, sI qVanDo noVa qVæ tVLIstI
RegIa; aVt gazIs potIor fVIſtI
VLLIbI forſan, pretIoſa rebVs,
GratáqVe ſpebVs:

Chronoſticha exprimunt Annum reditûs ex Hiſpania.

CAROLVM SOLEM referens adeſſe,
Qvem diù multùm procul hinc abeſſe
Ingemebamus; magìs indè Laurô
Chara es, & aurô.

ora ter feLIX! sVa qVæ aDfLVentI
Terga sVbMIsIt prIor! & terentI

Ba-

BasIa InfLIXIt, sInVante tota
TethYe Vota.
Qvêis ſuum PHÆBUM ſtudijs! qvibúsqve
Plauſibus ſtringent Alemanni! adúsqve
Sidera extollent, Solijs beabunt,
Siſtra ſonabunt!
BeLLè ab HIspanIs aDes VnVs orIs
AVstrIæ TItan! TIBI soLI HonorIs
sCIta ſe aDVoLVVnt, TVA IVra noſCVnt,
CAROLe posCVnt.
Noſtrum ave, ô Unus! Decus, & Corona!
Cuî decens eſſet Charitum ipſa dona
Pendere: at nos qvin alia apparamus,
Corda ſacramus.
Vos ego HIC DIVos parIter senatVs
AVſtrIæ posCo: faCIte, ApparatVs
TeVto ConteXat CapItI HVIC poLItos
DebItè, aVItos.
Et ſonat jamjam qvid in aure Divûm,
Ut ferè plauſum canerem eſſe vivum,
Qvô ſuum AUGUSTUS Latium ſubivit,
Sceptra petivit.
AVDIo: & LætIs VenIt eCCe pennIs
ALes AtLantIs, noVa qVI perennIs
GaVDII argVtVs IVbet eXpLICare,
Et CeLebrare.
Eja! abi in plauſus Alemanna tellus!
Téqve, qvod Jaſon tulit ipſe, Vellus
Indue, ut lectum magè ſic decores,
CÆSAREM honores.
sI CVpIs, qVIs sIt NeO-LeCtVs ILLe
NosCere? aVt eX tot penetrare MILLe?
Non opVs sæVæ fVerIt reqVIrI
Fana CaIrI;
Huc age, arcanum Levipes Atlantis
Qvod Nepos, audi, reſerat: TONANTIS

Nu-

Nuperi *Pollux* erit *IMPERATOR*,
SOL recreator!
CaroLVs (VoX hæC rotat Vna CorDa,
et tenet thraCIs* VeLVt Ipſa ChorDa)
ergò, Io feLIX! tVa, teVto, habebIt,
regna tenebIt!

Tevtones Nymphæ, nemorum Camillæ,
Auſtriæ Vates, agite, ùt Sibyllæ:
CÆSARI ELECTO pia vota ferte,
Voce diſertæ:

qVòD gVbernabIt popVLos beatVs;
qVòD reget terras, alte, aVſpICatVs:
ILLIVs fasCes ChartItes notabVnt,
CVnCta probabVnt.

Qvòd manu Ajacem, Genióqve Cyrum
Sit relaturus; qvòd ab indè mirum
Qvidpiam Tali (Polus ùt fatetur)
REGE ſeqvetur.

gratIIs fIet qVasI gratIanVs,
atqVe rVDoLphVs pIetate CanVs,
DICIte, & VIrtVs ab aVIs reCresCet,
Cara VIresCet.

Aurea (id, credo, Superi favebunt)
Sêcla prodibunt, Oleæ virebunt;
Conditâ, funus volet eſſe vivus,
Pace, Gradivus.

prInCIpes CVrent aLeMannI, Vt aVrô
sCeptra fVLgesCant, VIreántqVe LaVrô;
apparent, arCVs ſtet & Vt nItorI, &
æqVVs honorI.

His probè effectis Thronus elevetur;
Inqve Eo CÆSAR citò purpuretur:
Vota ubi Tevto ſua Militaris
Cernat in Aris!

* Orpheus.

sIC ab eXCVLto LaChesIs faCeſſat;
E PoLI nVtV, patrIs ô! Capeſſat
NoMen! & VIVat, VenIátqVe gratVs
PORPHYRO-NATVs!

Subjunxit Epigramma:

Eſt Romana *Biceps* Volucris: pro *Cæſare* qværit
Bifrontem; Imperij, CAROLE, *Janus* eris;
Imperiale Decus PATREM Fratrémqve manebat,
CAROLE Rex, RVrsVs TE Manet ILLe DeCor.

Claud: l. 3. de rapt: Proſ:

NUMERUS III.
Francofurti Sex PLANETÆ
(ELECTORES)
Septimum dicunt SOLEM
ROM: IMPERII
AUGUSTISSIMUM
CAROLUM VI.

ELOGIUM II.
Uranies Muſæ Aſtrologæ.

Qvæ inſolitæ ſtellantium ignium Syzygiæ?
NoV*a, neC nota eſt sy*D*er*VM *faCles;*
Septem Magnitudinis Primæ *Sereniſſima Luminaria*,
In voces animantur, concordant in laudum Concentus.
Qvæ

Qvæ Conclamantium, & Vota ferentium
Iſthæc Solemnia?
Teleſcopijs noto ſingula: nec capio;
Scrutor univerſa, & à Gloriæ obruor ſplendore.
Video:
Supremâ cæli orbitâ,
Qvæ *Prima* vehitur ſtellaris *Eminentia*,
(*Saturnum* veteres dixêre Poëtæ)
Rotâ provehitur *argenteâ*:
Notâ, inqvam, fauſtæ ſortis,
Et omnigenæ felicitatis.
Qvæ ponè *Secunda* Comes eſt,
Jam mihi viſa Stella **Auſtraſia*, *Lotharingia.
Eſt Phæbo, ſcilicet Auſtriæ,
Nunc Prævia, nunc Subſeqva,
Fidiſſima ſemper, Amiciſſimáqve:
Si Aſtra ſangvinem haberent,
Dicerem *Conſangvineam*;
Lucis eſt SERENISSIMÆ!
Phoſphorum rectè, *Heſperumqve* nominamus.
Qvæ Tertiô vehitur Eſſedô,
Sororiô AUGUSTISSIMÆ PHÆBES Candore,
E *Palatina CYNTHIÆ Domo* eſt *Sidus*:
An Ipſa *Phæbe*?
Velocitate & præſtat,
Nec *Solem deſerit unqvam*.
Sphæra inſuper intermicat *Aurea*:
An *Pomum Imperij*?
An Phæbe juncta Phæbo?
Hæc vetus fabula;
An LUMINARE MINUS MAJORI
Tam Conjunctum?
Sic vult antiqva Veritas.
Abhinc dextrorſum
Sidus promicat Placidiſſimum:
Aaa 2 An

An Simulacrum *Jovis* Coronatum,
Qvòd *Sceptrum* præferat?
Illinc ſiniſtroſum
Qvod fœcundè refulget, animos excitat, ſentio!
Corda animat:
An *Theſaurifer Mercurius?*
Caduceum qvid flexit in *Coronam?*
Rurſus,
Qvod *Septimo proximum*,
Aſpectum effigiat *Martium*;
Seu Radios diffundit, ſeu Gladios;
Dicite Motrices Intelligentiæ:
Qvod Sidus hoc *Enſiferum?*
Septimum
SERENITATIS MAJESTATE,
Splendoris Gloriâ,
Reflexa in ſe Lumina
Penitùs obruit:
Fontem omnigenæ Lucis
Auguſtiſſimum dicerem SOLEM:
Nî Orbi *Heſperio* nuper *Catholicâ Majeſtate*
Illuxiſſet:
Jam tamen Horizontem etiam Germanicum
Novis irradiat fulgoribus.
Dicite ergò, dicite Cæleſtes Intelligentiæ:
Qvis iſte Conclamantium *Syderum* Concentus?
Audio *Concordantium* Vocés:
Imperium, eſt *Empyreum*;
χαῖρε ἥλιος, χαῖρε Κάρολος!
Et ecce
Empyrei adeſt Intelligentia;
Absqve teleſcopio patent Myſteria:
Qvot ELECTORUM SERENITATES,
Tot Clariſſima *Primæ* Magnitudinis Luminaria;
Congreſſio, *Conſtellatio*, *Conclamatio*,
AUGUSTISSIMI SOLIS,

IN-

INVICTISSIMI CÆSARIS
Eſt *Electio*, eſt *Coronatio.* •
Novi jam
MARTEM, Cæli Imperialis ENSIFERUM
ARCHI-MARESCHALLUM;
Novi,
Suprema in Orbita qvi *Primas* tenet,
ARCHI-CANCELLARIUM,
ELECTORUM PRIMATEM:
Rotâ Beatæ Sortis *argenteâ*
Aurea SATURNI Regna advehit;
Novi
PHOSPHORUM, HESPERUMVE
AUGUSTISSIMI SOLIS
Individuum *Amiciſſimè* Comitem,
Itémqve FRANCIÆ
ARCHI-CANCELLARIUM;
Novi
In Gloriæ ſplendore LUMINARE MINUS,
Aureo cum *Imperij Pomo*,
ARCHI-DAPIFERUM.
Novi
Neo-Coronatum JOVEM,
Imperij *SCEPTRIFERUM*
Archi-Camerarium;
Novi
Novum Ejusdem Imperij CADUCEATOREM
ARCHI-THESAURARIUM;
Sed &
SOLEM acclinis agnoſco NEO-ELECTUM,
AUGUSTISSIMUM,
INVICTISSIMUM,
OPTIMUM,
MAXIMUMQVE CÆSAREM
CAROLUM SEXTUM.

Subſcripſit Epigramma:

PALLADE dat Genito *CAROLO* Germania *Pomum*,
Conſilia *Imperio* non dedit Iſta *Pariſs.*
Nec *Paris* eſt *Judex*; qvin erro: *Vota* dedêre
SEX; Omnes ergò Vota dedêre *Pares.*

Et mox Concordiam exhibuit
Cum Corde Aureò,
Cui

CAROLI VI.

Nomen inſcriptum legit, cum Lemmate:

ConCorDIter VnVM.

Alluditur ad illud Claud: l. 2. de Laud: Stilic: Concordibus Unum.

EXPOSITIO.

Cor Cordi unit *Amor*: Votis *Concordibus Unus*
Eligitur *CAROLUS*, Qvi Cor *amore* regit:

SpeƐtavit Concordiam
Cum Uranie Genius
Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ; & exultans
Dixit:

Vota CeCIDerVnt Mea!

EXPOSITIO

O *Mea* qvàm fauſtè *CeCIDerVnt Vota*, precésqve!
Mille DEO grates, Auſtria grata, feram.

NU-

NUMERUS IV.
APOLLO
Parnaſſum Auſtriæ
In applauſum
SERENISSIMO
CAROLO III.
Hiſpaniarum Regi,
De fauſta in Romani Imperij
Solem Electione
Evocat.

POEMA I.
Hiſpano-Germano-Auſtriacum,
Sive CAROLINUM.

Perge Triumphales Domus Auſtria nectere currus,
Et pompam celerare fori; feſtiſqve Deorum
Templa animare focis, armatos cogere cives,
Omnémque æriſonis complere cohortibus Urbem:
Ut Tua per notos Patrum deducta Triumphos
Gloria, in Auſtriadûm ſubeat Capitolia Regum;
Qvippe Tuus (jã Sol, qvàm fulgens!) rurſus ab oris
CAROLUS Heſperijs, per tot diſcrimina ponti,
Terrarúmqve, Dijs Ductoribus advolat, atqve
Nunc Patrijs rurſum Laribus ſe reddere geſtit.
(infert
Qvanqvã, ô! qvàm ſe aliũ! qvibus auctus Honoribus
CAROLUS! à Qvinto qvalis Tibi nemo ſit unus

CAROLO in Auſtriacos viſus rediјſſe penates.

Non ego Famã iſthìc Tibi inania multa loquendi
Perdoctam adduco, tulit hæc oracula Phæbus,
Cùm nuper pleno, poſitis teſtudine, & arcu,
Divûm in conſeſſu, laurum in talaria vertit;
Atqve hàc digreſſus retulit, quæ ſcilicet oris
Nuper Tevtonicis mira, atqve noviſſima vidit:
Urbe fuit mediâ Domus Electiſſima, rarum
Majeſtatis Opus (de curis, qvas ibi Regum,
Regnorúmque agitare ſolent, ſibi Curia paſſim
Nomen habet) latè circumfulgentibus armis,
Et labaris qvàquà lætùm advolitantibus ingens:
Hìc Septem aſſedêre Viri, qvêis purpura veſtem
Magnificè tinxit, ſimiléſqve decore notabat:
Et caput Auguſtum numeroſô adamante tiaræ,
Ceû diadema forent, cinxerunt: penè tot ipſos
Eſſe oſtendebat Reges, qvot corpora præſtò
Adſpectare fuit: qvales aliqvando Senatûs
Lumina Romani, cùm Pyrrhi Orator in Urbem
Pro pace admiſſus, viſi, censíqve fuêre:
Illi inter ſeſe conferre, qvis inter Eoſdem
Ipſos, qvîſve alius ſit Atlas, qui pondera ſolus
Sufferre Imperiј valeat pro Cæſare, fatis
Nuper defuncto? qvis poſſit jura tueri
Tevtonis? & Faſces Germani ornare qvis orbis?

Vix ea paulillum tenuit contentio, in unum
Cùm mox conclamant omnes: Rex Carolus, inter
Tertius Hiſpanos, Germanica Sceptra gubernet!
Dictum erat, & ſubitò rumor pervaſit in Urbem,
Complevítque omnem, totámque erexit in aures.
Fit clamor, plausúque novô lætiſſimus æther
Gaudet, qvémq; capit, multiplicat indè Triumphũ.
Dixit, & Auſtriades, virgâ dum verberat auras,
Momentô citiùs præſtò facit eſſe Camœnas:
Veſtrum erit officium, dum me ſibi Regna per Orbẽ
Præ-

Præſtolantur, ait, qvêis narrem, CÆSARIS ASTRUM
Effulgere polô, rurſum dominarier Auſtri
Progeniem, & *Virtute* gradi in veſtigia *Patrum*:
Vos agite, Aoniâ, qvaqvâ licet, arte canendi,
Hinc, atq; hinc, Urbes, arcésqve replete, larésqve,
Fluminńqve, & portus marium, & Neptunia latè
Pergama, & Auſtriaco qvidqvid de nomine dici
Optat, purpureóqve ambit ſub honore morari:
Ut LEOPOLDIADEN, ubi tempora fulſerit aurô
Cinctus, Achæmenios imitari poſſe Triumphos
Detur, & Auguſti penetralia adire Parentis.
Hæc ubi verba dedit, talaribus acer in auras
Eluctatus abit, Muſas per inane relinqvens.
Qvalis cùm armigeræ Jovis, Idæ à monte, Puellum
Auferre ad Superos commiſſum eſt: avolat Illa
Præpetibus, Simoënta qvoad prætervehat, alis;
Dúmqve citô raptu Ganymedem fortè prehendit,
Magnanima erigitur, clangoribus aëra pulſat,
Spectantúmqve oculis ſe aufert, prædáq; potitur.
Perplexis ſuper hæc ſimilis ſtat tota Sororum
Turba novē, qvid agátve priùs, qvídve inchoët, ipſa
Eſt ignara ſui: donec, qvæ proxima Phœbo,
Calliope eſt exorſa loqvi, mentémqve, modúmq;
Phœbi alacris cœpit reſerare, ac talia fatur.
Pro *Leopoldiade* JOSEPHO, Cujus ad urnam
Præcoce fatorum nutu, indignantibus umbris
Atræ aſſediſtis nuper, leſſósqve dediſtis,
Et lacrymas, & metra elegi pleniſſima luctûs:
Ecce ALTER *Leopoldiades*, atqve Unicus Alter,
Lectus in Imperiū eſt, pro extincto Caſtore, multū
Viribus, atqve ætate virens, & robore, Pollux:
Qvin potiùs pro SOLE Novum dant ſidera SOLEM;
Hunc procul Heſperijs venientem à finibus ardet
Non ſolùm poſtliminiò Germanica tellus rô
Cernere: verùm etiam qvàm primùm CÆSARIS au-

Ccc In-

In Francfurtanis redimire penatibus optat.
Huc proîn, Auſtriadũ ſiqvidem vos Gloria Tantæ
Tangit, adeſte, Domûs: huc barbyta veſtra, chelésq;,
Huc conferte modos, & carmina dicite Muſæ:
Nulla ſit, Auſtriacis qvæ non ſit honora Triumphis;
Caſtalij hoc fontes, atqve hoc Parnaſſia Tempe,
Hoc jubet, audîſtis, (novi,) Latonius Ipſe,
Qvem Pindus, qvem Pimpla canit, crinitus Apollo.
Sic ubi diſſeruit Parnaſſi filia, natu
Grandior, ante alias octo ſpecioſa Sorores,
Diverſum meditantur iter, qvà qvælibet harum
Numine plena ſuô fieret; qvà vota futuris
Concinnet meliùs deſervitura Triumphis.
Interea Hiſpanas rumor penetravit in oras:
Tevtoniam ſibi velle Ducem, Regémq;, ſed Illum
Præter non alium, qvàm qvi fulgentibus armis
Heſperiæ qværit Regnum, qvod jure gubernet:
Jure, qvod à Patruo Genitor, Fratérqve recepit.
Carole, Rex Regũ, Decus Archiducũ Auſtriacorũ,
Heſperidûm Rector, Spes Tevtonis Altera terræ:
TE Germana ſibi tellus, heu! funere grandi
Josephus poſtqvam occubuit, Te, Carole, poſcit
Pollucem velut Imperij pro Caſtore ſolum!
Imperij qvin imò novum pro Cæſare Solem.
Nec mora: adeſt præpes mox Ipſe caducifer Heros,
Tevtonicis à Sideribus ſimul omnia fauſtùm
Vota aurô concluſa ferens, & condita gemmis,
Qvæ per & adſtantem ſubitò ſubmittit Adonim:
Vix ea, clauſa licèt fuerint, nec cognita, præter
Majugenam, ulli hominum, deferri paſſibus æqvis
Eminus adſpexit, fidi Dominator Iberi
Carolus, Imperij cepit qvem nulla cupido, aut
Ambitioſus amor; malens regnare rogatus,
Serius avertit vultum, penetralia qværens
Abdita, & arcanam, qvà ſe ſe conderet, arcem.

Sic

Sic Agamemno vetus fertur ſe in ſomnibus umbris
(Cùm jam accedentes, & Sceptra Pelasga ferentes
Eminus aſpiceret, qvêis pro tot millibus Unus
Doridos è voto Trojana in valla, ſuiſqve
Ire fuit lectus pro Fratris Conjuge vindex)
Contumulâſſe priùs, caperet qvàm juſſus honores:
Nec ſumpturus erat, niſi, qvæ Suprema Dearum eſt,
Judicio à Paridis ſemper contraria Tevcris,
Juno vel Ipſa Ducem noctu ſtuduiſſet adire,
Atqve per immenſas animos ſuperaddere lauros.
CAROLUS intexto conſedit fortè ſub oſtro
Regnorum ſecum curas, hominúmqve volutans;
Et clara de luce fuit, cùm plena repentè
Tollitur, & furvis nox incubat atra tenebris:
At ſimul his medius, prægrandi à lumine cinctus,
Adſtitit Heſperiæ Domino, qvi nuper ad Auſtrum
Imperij Clavum vigilans Palinurus agebat,
JOSEPHUS FRATER, qvem triſtia fata fugaces
Heu! nimis ante diem, nobis rapuêre ſub umbras!
Et neqve defuncto ſimilis, macilenta vel ora,
Vel frontem indecorem oſtendens parebat: at Idem
Penè habitu, geſtúqve, & totâ corporis Idem
Effigie, ſplendens ſeſe, clarúsqve movebat:
Qvalis cùm Victor qvondam, Landavica linqvens
Agmina, Cæſaream lætus remigrabat in Urbem.
Sic ubi præcelsâ ſpecie ſe monſtrat, & unà
Attonitum vidit FRATREM, erexitqve jacentem,
Tum ſimul exanimem lingvam vitalè reſolvit,
Auditúsqve loqvi eſt pro Majeſtate decorus:
Qvæ me fata ſibi teneant, Dulciſſime FRATER,
Noveris antè, inqvit, nec opus mihi plura referre;
Sat lux una mei me prodit corporis; unde,
Qvòd TIBI ab Elyſijs adſtem felicibus arvis,
Tam FERDINANDIS, qvàm, qvi olim Sceptra priores
Imperij de Stirpe Auſtri tenuêre, RODULPHIS,

 At-

Atq; His, qvi NOSTRUM longô pòſt ordine PATREM
Anteiêre Duces, (multò feliciùs illô,
Qvi vetulum Anchiſen, tendentē brachia ſtrinxit,
Complexúsqve ſenem eſt) junctū cū funere diſcas;
At nunc Imperij, aut regionis qvis ſit avitæ,
Qværis fortè, ſtatus? paucis TE, adverte, docebo:
Me vivis Divûm eripuit Pater antè, Virili
Qvàm Solium, veluti noviſti, Prole bearem:
TE FRATER, TE Sceptra proin, TE CAROLE Regna
Unum reſpiciunt, TE tot Diademata poſcunt,
Auſtriadū Spem Unam Procerū, tot Pignus Avorū:
Et neqve Pannoniæ TE ſolùm purpura, nec TE
Sceptra ſibi tantùm depoſcunt Czechica: at ipſum
Imperij TE pondus avet, Germanica Solem
TE ſibi corda volunt, TIBI Faſces, Sceptra, Coronas,
Et veterū monumenta, AQVILAS, ex ordine mittūt,
Expoſcúntq; Ducē: nè, TE oro, morâre petentes;
At magìs Heſperijs propera tantiſper ab oris,
Neptuni liqvidas transſcende triremibus Alpes,
Tevtŏniæ TE redde Tuæ, Patriásqve curales,
Qvas, fatô celerante, TIBI ſum cedere juſſus,
Auſtriacus retinere, volentibus omnibus, aude. (las,
Nè metue indè minas Thetidos, Nereïve procel-
Aut qvæcunqve vias fortaſſe pericula Martis
Conterrere qveant: Patriô ſat Numine tutus,
Ipſiúsqve mei fueris, qvi TE undiqve præſens,
Qvamvìs non videar, pontóqve, ſolóqve tuebor;
Donec Cæsareô videam TE Murice cinctum,
Auratóqve gravem Pomô; Sceptróqve, Thronóq;
Conſpicuum; Populis ſeſe inclinantibus, ora
Solis blanda, ſed horrifica hoſtibus oſtentantem.
Dixerat: & furvam laxatô pectoris arctô
Tegmine, qvam ſecū priùs attulit, abſtulit umbrā,
Adduxitqve diem: veluti cùm Cynthius ipſe
Supra rore graves ſtat nubes; lucéqve ſolùm

Sub-

Cernier eſt oculis dubiâ ſpectantibus aptus:
At poſtqvam jubar exacuit, nubémqve repreſſit
Rorigeram, facie tum demum prodit amœnâ,
Abluit argentô ſtellas, cælúmqve ſerenat.
Sic ubi verba dedit FRATRI JOSEPHUS, in ipſam
Totus lucem abijt, ſed & inſimul Ipſe videri
Ampliùs haud potuit, vacuas reſolutus in auras.
Conſternatus ad hæc primùm REX CAROLUS, uſq;
Dum Sibi paulatim redijſſet Spiritus, atqve
Tunc demũ FRATER FRATREM, ſed inanè, vocâſſet.
Mox tamẽ hæc ſecũ memori cùm mente reflectit:
En ſubitò auratis defertur ſcripta figuris
Litera, qvam effigies *Aqvilæ* ſignabat in oſtro:
Imperij totius erat mirabile Votum, (narchæ,
Qvô Sceptrũ Hiſpano, Diadema, Thronúmq; Mo-
Et qvidcunq; aliàs FRATérq;, PATérq;, vel olim
Rexêre Auſtriaci, cupiebant eſſe ſacratum:
Vix, è delatis, reſeratô ſigmate, chartis,
Perpaucas properare notas, & Gentis amorem
Tevtonicæ immenſum dignoſcere CAROLUS: ecce!
Mentem, animúmq; ſubit, Sibi qvod paulò antè di-
Teſtatus verbis fuerat JOSEPHUS, in umbra (ſertis
Qvem modò contuitus Divina à luce micantem.
Et bene: ſic Superi voluiſtis, voce præaltâ
CAROLUS adclamat: ſeqvimur, qvò Nos ſibi fata
Tevtoniæ dilecta vocant; ſic CAROLUS olim
Accerſitus abît, (dixerunt nomine *Qvintum*)
Sangvinis Auſtriaci non ultima portio noſtri;
Qvi jam tum Evropæ, terráq;, maríq; Triumphos,
Inſuper atqve Aſiæ innumeros pariebat, & Afris,
Ut moderaretur cum Majeſtate Volucres
Tevtonas, Hiſpana hac eſt de regione profectus.
Sic Exempla ſeqvi CAROLO *Carolina* placebit.

NUMERUS V.

Poſt delatam Barcinone Imperij Clavem,

CAROLO VI.

Germaniæ Sidera

AUGUSTISSIMO

NEO-SOLI

Occurrunt,

Eíqve bene ominantur.

ELOGIUM III.

Epigramatibus, & Odis intercurrentibus.

Antiqvum hoc Privilegium:

E cernua Barcinonis Manu Clavem legi auream

A Supremo Hiſpaniarum Apice.

Reſpice *Clavigeram*
CATHOLICE HISPANIARUM REX:
Per Barcinonis manum
SUMMÆ TIBI MAJESTATIS
Clavem conſecrat:
Dum TE ad Supremum Germani Cæli
Clavum evehit
Unanimi Tevtonicorum Siderum Suffragiô
Orbis Europæus.
TUA deinceps excepturus imperia,

Pro-

Proniſſimô Vertice *Aurem TIBI* applicat
In *Catalaunia*;
Capeſſe *Supremi Dominij* Teſſeram:
Cum *Aure Jnaurem Auream*,
In delata pro Theſauro Evropæi Orbis *Clave*,
Maxime Occidentis Claviger!
CAROLORUM in *Hiſpania* TERTIE,
Eorum pariter, qvi ROMANIS
Clavem hanc junxêre AQVILIS,
Intrà *Annorum* SACRATISSIMO NOMINE Tuô
Expreſſorum *ſeriem*,
TERTIE:
Ut cùm *geminum* hunc in TE ſocies *Ternarium*,
Non ſinè Divino Omine nuncuperis:
IMPERATORUM Nomine hôc gloriantium VI.
AUSTRIACORUM ad *Coronam Imperij*
Evectorum XVI.
CORONATORUM *Böemiæ* LEONUM XXVI.
REGUM PANNONIÆ
Connumeratô MAXIMILIANO I.
XLVI.
GERMANIÆ CÆSARUM LVI.
HISPANIÆ REGUM LXXXVI.
In *tota Imperatorum Serie* CXXVI.
Ac proinde Digniſſimus, ut hôc *Circulari numerô*
Univerſam MAJESTAS TUA comprehendat
Orbis Terraqvei Sphæram.

Epigramma:

Herculeum fecit TE Barcellona *Nepotem*,
CAROLE, Primitias cuî dicat Illa ſuas.
Ille ſuos humeros *Stellato* ſubdidit *Orbi*,
Orbi Terreſtri, CAROLE, ſubde TUOS.

Digitized by Google

Imò

Novum Orbis obſtupeſce Prodigium!
Retrogradum mirâre SOLEM!
Minoribus hoc hactenus fuit peculiare ſideribus,
Motum ſuum *retrogradô* curſu moderari,
Ut *Siderum Principi* obvia præſtarent homagium:
Nè ſuum non adoraret in *Sole* fontem
Planetarum pediſeqva Lux;
At nunc, immutatô naturæ ordine,
Ab Heſperiæ Mari *CLARUS SOL exoritur*:
Teutonico in *Imperio*
Perenne fundaturus *ſolſtitium.*
Habebit obvios SIBI Stellarum Ordines,
Dum *liqvido* innatabit *aqvoris firmamento*:
Novam *Eclipticam* figet in *Mediterraneo*;
Zodiacum ſecum defert; dum, Primitivô jure,
Aureô gloriatur Vellere:
SOL *Speratus* in * *Ariete*,
Electus * in *Libra*,
Perpetuus erit in *Æqvatore*:
Unde ſtabile derivet Orbi *Juſtitiæ Æqvinoctium.*
Suis & *Sperati*, & *Conſpecti Radiis*
Immerſam *Lunam*
Binô Orbi celabit *Noviluniô*:
Ut *Luna Ottomannicæ* occaſum comminans
Terras ei ſubjectas novâ luce renovet;
Utrumqve pari Bilance libraturus Imperium
Orientis, & Occidentis.
Eja! proinde fauſtis ſideribus emerge
Novus ab *Heſperia* Phoſphorus:
Imò redux ab Hiſpania
IMPERII SOL!
Teutonicum matura *Pomum*:
Qvod Tibi, Votis Germaniæ,
Romana defert *Aqvila*;

* *Ab Occaſu Joſephi I. prope Novilunium.*

* *Sole in Libra, prope Novilun: Elect: Imperator.*

Do-

Donec TIBI, *retrogradô* motu
Per Inclytas Victorias
Ab *Occidente* in *Orientem* depropěraturo,
Et ſuum ſupplex ſubſternat *Orientale Pomum*,
Preſſa hactenus jugô Ottomannicô
Romania.

O D E.

Huc clara cœli Sidera! PRINCIPEM
Videte Veſtrum, per medium Mare,
Et geſtientes per procellas
Retrogradô remeare *curſu*.
Res mira! clarô fœta Tethys Deô
Delecta TANTI SIDERIS Orbita eſt:
Cælóqve transfusô laborat
Stelligeros generare fluctus;
Hic Aſtra, gratos ſparſa per ordines,
In rara cernet jubila diſtrahi
Utrinqve conſiſtens, & oris
Æthereis ſociata, tellus.
At læta gaude Terra! ſinus Tui
Fient cupiti ſemita SIDERIS:
Idem æqvor illuſtrat, tuásqve
Zodiacô ſociabit Oras.

Epigramma:

Sole Libram tenente, SOL IMPERII electus

CAROLUS VI.

Sextum Zodiaci luſtravit limina Phæbus,
Qvando beat mediam lumine *Libra* diem;

Conſtituit *Sextam* CAROLO dare Tevto *Coronam*,
Atqve Hôc Germanũ SOLE beare Thronum.
Ut *Medius* pariter mundo fulgeret, & æqvâ
Libraret Radios uſqvè *Bilance* Suos.

Qvin Aſtræa Ipſa terras reviſens,
Et Bilance ponderans, hinc
CAROLI
Catholici Regis Pietatem,
Indè Coronas Hungariæ, Bohemiæ, Ipſius qvoqve Romani Imperij, deprehensô Æqvipondiô, ſublatas nuper à Libitina

AUGUSTISSIMO
JOSEPHO,
Æqviſſimè CAROLO reſtituit,
Livore fruſtrà obnitente.

Inſcriptio Aſtrææ: - per tot DIsCrIMIna - -
restItVIt sCeptrIs.
Claud: de 6. Conſul: Honor:

Livori: CVnCtIs erebI DIgnIssIMe pœnIs.
Claud: ibid:

Epigramma:

Sic Aſtræa *Pium* per tot DIsCrIMIna sCeptrIs
restItVIt CAROLUM: qvod probat æqva Themis;
Ergò erebI CVnCtIs (Livor) DIgnIssIMe pœnIs,
Auſtriacâ victum TE Pietate ſcias.

Acci-

Accinuerunt Imperij Sidera
Divinatione Arithmologicâ.
O D E.

Dum Sæclûm *novies* fluit *Secundum*,
O SOL, CAROLE, *Ter Secundus* Orbem
Totum, Lumine *Ter* beas *Secundô.*
SEXTUS TU *Carolina* Sceptra gyrans,
SEXTUS Tevtonico in Throno micabis
SEXTILI RADIO; novúsqve PHÆBUS
Terris omnia fauſta polliceris.
SEXTILES RADII, qvibus Coronam
Signas Imperij TUI, *duplentur:*
Totum *Zodiacum* nitore complent.
Nec *Solis Domus* inter aſtra PHÆBO
Tanto eſt ſufficiens, *Leonis* Ædes
Non eſt *Heſperij* capax: *Leones*
Duplos CAROLUS inter aſtra *Sextus*
Qværit; *duplice* Nominis nitore,
Fauſto ex omine *Ter Secundus*, annum
Signans ordine *Sexies ſecundum*,
Uno Lumine largus *auget* annum.
At cur, CAROLE, *Martij Calendas*,
Vix ortus, radijs novis *retardas?*
Fors hôc Lumine *februabis* auras,
Per qvas Glòria liberè vagetur,
Plùs ultrà Herculis emigrans *Columnas?*
Aut fors ut magìs excoqvas *Olivæ*
Frondes, fœdera *Pacis* ut corones?
An fors *Luna diem* ut lucretur *unam*,
Qvâ deliberet! Ottomanna Sceptra
Unà jungere Thracicæ Coronæ, ac
Arcum, & ſpicula *Martis Ottomanni*,
SOLIS contrahat in Novi Coloſſum,
Qvem paſſis *Oriens* adoret ulnis?

NUMERUS VI.
AUGUSTISSIMUS CAROLUS VI. IMPERII NEO-SOL
Ab Heſperia exoritur.
POEMA II.

Angliadûm, Batavis ſociata triremibus, æqvor
Heſperium claſſis nuper jam appulſa tenebat:
Et tunc Oenotriam versùs reditura, ſecundos
Opperiebatur Cauros, qveîs vecta per altum
Arma, virósqve daret Latio, Siculíſqve ſubinde
Portubus ingereret ſeſe, Hiſpanûmqve Panormi
Efferret celebri ſuper arce Trophæa MONARCHÆ.
Qvàm bene (ait CAROLUS, Patriásq; recogitat oras)
Nereus, extenſis ceû noſtra celevſmata velis
Expectaret adhuc, Batavíſq; Anglîsq; ſecundùm
Omne offert ſeſe votúmqve, vadúmqve phaſelis:
Cras ubi purpureis tollet ſe aurora caballis,
Cras oriemur, ait, paulùm Cantabrica Divis
Regna aſſerturi, qvoad aurô Tevtone cincti
Heſperios, fulgore novô, redeamus in orbes.
Nunqvam adeò ſubitis excuſſum labitur alis
Ponti terga ſuper cæleſti fulmen ab arce,
Horum qvàm citò dictorum delata Britannas
Fama eſt ad puppes: mox ergò Batava ſeſe
Carbaſa compulſis ſtatuunt ex ordine remis,
Auditóqve tubæ ſignô Prætoria circum

Vela

Vela natant, miſſóqve rudente, in littore figunt.
Cetera pars, qvos Angla vehunt pineta, natantûm,
Æris ubi vox inſonuit, ſubtollere funes,
Pandere remigij tabulas, remósqve, ratésqve
Jungere, & antennis adfigere flabra Britanni,
Qvem dedit ùt Regni Signum Regina, Leonis.
Et propè jam præſcripta dies luceſcere cœpit;
Jámq; aurora ſuas, omnem ſparſura per orbem,
Jactabat miniata roſas, cùm RECTOR Iberûm
CAROLUS, ùt radijs, Procerum, populſq; coronâ
Circumcinctus adeſt, ipsóqve in littore ſiſtens,
Hiſpanos affatus ait: Qvæ fata ſeqvamur,
Noſcitis è Noſtro, Qvem trux Libitina peremit,
Castore: prôin ſibi Nos Populi, Proceréſq;, Ducéſq;,
Et Nos Regna vocant, qvæ olim Leopoldus avita,
Et nunc Josephus, morte accedente, reliqvit:-
Abſcedo, at rediturus eo, pro Pignore Vobis
Sat fuerit, reor, Una Tori Dulciſſima Consors,
Qvam ceû Augustam com̃endo, locôq; Minervæ
Præfulgere volo, Vobis dum Cynthius abſum.
State Viri, veterſqve fide ſervate Tiaram
Heſperiæ Auſtriacis: ubi Iberica Regna Coronis
Tevtonicis conjuncta redux ſpectavero, Veſtra
Eſſe æqvata Jovi faciam, ſuper æthera tollam.
Stabant hæc ad verba Viri telluris Iberæ,
Qvales fortè ſolent, Divorum ex ordine qvemqvam
Si qvandoq; loqvi, Martémve, Jovémve Sacra inter,
Seû ſit apud Thraces, ſeû contrà in monte Qvirino,
Exaudire datum eſt: ſtabant ùt fulgure læſi:
Paulatímqve ſui rurſum, ſuper ora cadente,
In tacitas ſolvuntur aqvas, ceû rore maderent:
Ingredientem undas Solem ſuum adusq; ſeqvuntur
Littus, & affectu comitantur ab indè volantem.
Claſſis adeſſe Caput ſenſit Prætoria pinus:
Cùm ſubitò, ſed ſponte ſuâ, qvaſi fune reciſô,

 An-

Ante alias graditur, pontúmqve ſupinat eundo;
Exoritur clamốrq; Hominũ, murmúrq; rudentûm,
Tum baliſtarum fremitu, qvem Regia puppis
Ediderat, littus ſonat omne, ſonúmqve per undas
Latè conglomerat Nereûs, fragor æthera pulſat!
(Signum erat, attractis ventorum ut flamina velis
Exciperent proræ faciles, pelagóqve natarent)
Ergò Anglæ, Batavæq́; ſimul, pulchrô ordine, naves
Ingrediuntur iter, ſempérqve sũave feruntur.

Qvibus diſcedentibus Barcinone,
Cum tormentorum fulminibus
MONTIS JOVII,
In applauſum undas Maris Mediterranei excitat
Neptunus Tridente, cui inſcripſit:

CIrCVMtonet VnDa!

Claud.

Adbuccinavit Triton:

Inter Feſtivos CAROLO dum *Mons Jovis* ignes
Applaudit: CIrCVM - Barcino, & VnDa - tonet!

Et qvia Barcinone diſceſſio fuit
27. Septembris, die SS. Medicis
COSMÆ, & DAMIANO
Sacrâ, Divus RAPHAEL (Medicina DEI)
In via Ducem ſe ſe obtulit, hôc in manu Lemmate:

Me DVCe CertVs erIs.

Mart: l. 1. Epigr. 2.

Mente qvid incertâ volvis? TUA Regna capeſſe
ArChIDVCVM pie Dux: Me DVCe CertVS erIs.

Et

Et ſic Angliadûm, Batavis ſtipata, ſerenum
Affulgente polô, Zephyróqve, Liguſtica felix
Littora tranavit, multóqve celevſmate portus
Ingreſſa eſt, rerum nullô diſcrimine, Claſſis.
Ac velut aut Hermes, aut Ipſe,Hermetis, Apollo
Juſſus abire locò,aut ſimilis qvæcunqve Dearum
Nymphæ, cûi paſſim Famæ cognomen adhæret,
Prævia Tevtoniam complêſſent Numina, tantum
Concurrentis erat numerum populi infinitum
Cernere, qvi vaſtos ſepiverat undiqve portus,
Optârátqve ſui ruere in Sacra colla Monarchæ:
Tanti eſt, ſi qva ſuum plaga cûi transſcribat amorē!
Interea ùt Proceres, (potiùs dum Sidera Solem
Obvia viderunt) ſeû qvos Domus Auſtria, qvósve
Imperium, Latij qvos Regnáq;, qvósqve Ducatus
Heſperijs misêre ſimul venientis ab oris
Regis in obſeqvium: Solari luce micantem
Adſpexêre, ſimul vocem omnes tollere, Divis
Vota dare, & Tantæ redeuntis baſia dextræ
Primus qvisqve optare, & portûi proximus eſſe.
Et ſic Heſperijs Titan exortus ab oris
Italiæ portum fulgens intravit ovantem.
Non ego, ſi lingvæ mihi ſint centum,oráqve centū,
Enarrare qveam plauſus, non gaudia, qvantis
Inter ſeſe omnes confuſi littora circum,
Pérq; omnes, qvascunqve vias, Regémq;Ducémq;
Sint laudare ſuum, & ſuper æthera tollere niſi.
Sic Romæ Auguſtus qvondam, ſic Ulpius olim,
Qvando Hic à Dacis rapidi de finibus Iſtri,
Ille ſed Actiaca, primævo in flore juventæ
Laurô effulgeſcens, remeavit ad Urbis, & Orbis
Imperium, populi totius murmure, qvos ceû
Numina bina colat Latium, ſunt penè recepti.

Et primò qvidem

AUGUSTISSIMO

CAROLO

Adgeniculantur Tritones;

Et Cornibus ſuis buccinant:

CoMpesCVIt VnDas!

Lucan: l. 1. Pharſal:

Et Celevſma accinunt;

Neptunus, Carolúsqve maris CoMpeSCVIt VnDas!
Diviſum Imperium CÆSAR in æqvor habet.
Dúmqve
- - reMIs pVppes, aC roſtra reCeDVnt:

Lucan: l. 3. Pharſal:

NU-

NUMERUS VII.
AUGUSTISSIMO
SOLE
CAROLO
Ad mare Liguſticum
Romano - Germanico Imperio
Exoriente:

Imperij, & Fevdales Italiæ
Convolant Aqvilæ.

ELOGIUM IV.

Non potuit Orbis Romano-Germanicus
Exorientem Imperij SOLEM
Pronô capite adorare,
Niſì provolutus in genua, ad *Genuam.*
Hìc lunatô præſtolabatur poplite:
Donec Faventino è portu
Famulantibus ſtipatum Sideribus
Ad Gloriæ Romano-Germanicæ Meridiem
Cernuus invitaret,
Primámqve
Poſt ſerenatas *Mediterranei* æqvoris procellas,
In *Genuenſi* portu monſtraret Januam,
Qvam *Imperij Clave*, Barcinone ſuſceptâ, reſeraret,
Initurus Cæſarei Honoris Penetralia.
Hoc ominoſum *Bifrontis Jani* monumentum
Secundâ præſagit felicitate
Progenitam *Sole Duplô* Sobolem:

Ggg Hinc

Hinc *Orienti*, indè *Occidenti*,
Utrinqve in ſummo Majeſtatis Meridie.
Affulſuram:
Ut proinde
Auguſtiſſimis CAROLI TER SECUNDI Radijs
Famulentur univerſæ Cardines terræ.

Jámqve vox inſonuit:

aCCeDVnt ReMIs naVes: CAROLO ergò canorè
ROMULIDUM REGI nautica plaude cohors!
Reddidit
AUGUSTISSIMUS

CAROLUS:

En *adsVM VICtor - Cæſar!*

Lucan: Lib 1. Pharſal:

Adeſte ad SOLEM Aqvilæ,
CÆSAREM ſtipate!
Nec formidate vindici pupillam feriri radiô:
- - *Circum caput omne micantes*
Depoſuit radios, propiúsqve accedere juſſit

Ovid: l. 2. Metamorph:

COMIS MAJESTAS,
Lucere recuſans, ſi terræ etiam remota lugeat plaga,
EJUS fulgoribus non irradiata:
In Auge reſplendens Auguſtiſſima
Neſcit Solſtitium;
Eò terris propinqvior,
Cum Nativi etiam ſplendoris imminutione,
Qvò Celſior:
Ut proſit, præeſt.
Nec
Sola adeò capax SOLIS eſt
Imperialis Aqvila,
Ut in Luminis Auſtriaci plenitudine nutritas arceat

Impe-

Imperij *Vaſallas* Alites
A Solio,
Qvod *Sereniſſima* CAROLI aſcendit Claritas:
Ut indè clari ſinè nube deſcendant dies,
Ubi
Pro Zodiaco amplior SOLEM ambit
VIRTUS PATRUM.
Vix enim horizonti ſuo
Auguſtum Imperij SOLEM,
Inferri ſenſit ITALIA,
Et procidua
In Coronam DVCVM
Inqvit:
Romulidas, Italámqve *Ducis de Nomine Gentem.* *Virg: l. 1. Æneid.*
Dum ſiſto, & ſiſtit ſe
Iſta Corona DVCVM.
Cui Regalis Sabaudiæ Ales:
- Hic eſt, tibi qvem promitti ſæpiùs audis,
Auguſtus Cæſar, Divi Genus: Aurea condet
Secula qvi rurſus Latio, regnata per arva
Saturno qvondam, ſuper & Garamantas, & Indos
Proferet Imperium.
Mox Aqvila Mediolanenſis,
Exultans in lucem provolat,
Orientémqve ſalutat PHÆBUM:
Gaudent Italiæ ſublimibus oppida muris,
Adventu ſacrata Tuô.
Et è Coronato ſcuti Gentilitij Serpente
Aureum in orbem implexo
Annulum figurat,
Qvô ſimul Orbem pro Annulo offert,
Et Romano Imperio deſponſatum exhibet Imperatorem,
Simul Cæſarum Gemmam CAROLUM oſtentat:

Atqve in Hieroglyphico Æternitatis
Perennaturæ in Orbe Felicitatis
Sub CAROLO
Prabet Argumentum:

Annulus eſt Orbis, pulcherrimus annulus Orbis,
Inductus digitis, CAROLE Sexte, Tuis;
Non tamen ille fuit pulcher ſinè divite Gemma,
Imperij Dives nî ſibi Gemma fores.
Ergò Tuam, qvi Sole micat radioſior, Orbis,
In CAROLO Gemmam, qvâ capiâre, cape.

Clangore Aqvilæ excitatus Parmæ Monoceros
Auſtriacâ in Faſcia, ſibi Gentilitia,
Involutos defert Faſces Imperij:
RVbro & CanDIDo, Ter seCVNDO
soLI sVo CAROLO,
DVM
AD GerManas ab HeſperIa Coronas VoCatVr
Ingens CæſarVM DeCVs,
orIens ItaLIæ, & orbIs DeLICIVM:
In AVstrIæ FasCIa IMperII Defert FasCes
Cæſareo-LaVreatos FeVDaLIs ParMa.
Deinde
AD AVroraM CorVsCantIs
ConsVrgens Leo MIranDVLæ;
Suas qvoqve faſcias in Purpuram
Orientis adornat SOLIS,
Sic ſeſe excitans:
Nè Imbres metue,
SOLE Imperij in *Ortu rubente*:
Gratias Orbi depluet;
Nec Radios in Arma diſtringet,
Niſi qvis temerè Majeſtatem laceſſiverit:
Imbellem *horruit* Orbis in Leonis exuvijs Alciden;
A LEONE progenitum,
FORTEM *amat* CAROLVM:

CUI

CUI
Qvæ Herculi terminalis fuit Calpe,
Porta eſt Triumphalis:
Plùs ultrà Auſtriacas Laureas provecturo.
E Patrio autem Mediceæ Gentis Inſigni
Mutuatam Hertruria Pilam
Qvam alij volunt Pomum,
In Pomum offert Imperiale
Ad inconſtantiam in pila Symbolo,
Fortunæ CAROLINÆ
Sinè ulla Lucis diminutione, figendam;
Bulengeri uſa metrô:

Qvi fuerat qvondam fortunæ mobilis Orbis,
Non fert incertas longiùs ire vias:
Sed *Medices* Gentis fulvo cingetur in auro,
Ut Pomum *CAROLO* non malè flectat iter.

Cui Pomo Mantuana Ales
Ex ſignis ſuis Gentilitijs
Crucem Superaddens, Imperiale exprimit Pomum.
Vatis è Conſilio:

Imperij non Poma placent, qvæ Lubrica caſu
Volvuntur dubiô, ſint niſi fixa Cruce.

Magna Ferraria, Mutinæq; Ales,
Excuſſâ ſuo è Vertice Coronâ,
AUGUSTO SOLI imponit Diadema,
Et clangit:

Succedant armis trabeæ:

Claud: de 3. Conſ: Hon:

Jam trabeam Bellona gerit, parmámqve removit,
Et galeam, ſacras humeris vectura curules.

Id: de 4. Conſ: Hon.

Aſſurge Lumen, flammea jam novum
Corona Solem cingat, & æthere
Totô coronet, Cæſariſqve
Imperiô, famulante cælô,

Lux Orbe Major CAROLUS emicet!
Qvi nocte tetrâ Martis Iberij,
Armíſqve vallatus, ſerenam,
Et placidam ſinè nube frontem
Infert Olympo.

Hæc inter feſtinus Sereniſſimæ
Rei-publicæ Venetæ occurrit Leo,
Suúmqve Enſem cum Evangelio reverenter inclinans,
Ad tuendam contra Ottomannos Religionem Romanam
Seſe offert,
Cum Lemmate inſcripto Enſi:

PArIter *CVM DVCe.*

Claud: l. 1. in Eutrop:

Ad propugnandam FIDEI, CAROLIqve Salutem
Occurro parIter CVM DVCe, & Enſe Leo.

Advolat deinde Tyrolis Aqvila,
Et AUGUSTISSIMO SOLI indicat,
Pana, cum montium Numinibus,
Inter virentes ſcenas tranſituro,
In applauſus jam paratũ; roſtrô præferens Epigraphen:

NeC *Cætera* NV *MIna DesVnt.*

Claud: de Nup: Honorij.

Tota TYROLIS ovat! neC Cætera NVMIna DesVnt!
Lis (ait Echo Diis) nulla, nec hoſtis erit.

Solicitior Aqvila Imperij Neo-Ele-
cto SOLI Sceptra ſua ingerit in Orbis habenas:

Picta biceps Àqvila, hinc Occaſũ, hinc reſpicit ortũ;
Alter, ait, CAROLI eſt; SOLIS & alter erit.

Et

Et Succollatura progredientem

Pennarum explicat remigium;
Dum, ab occaſu JOSEPHI, Diem oriri in Novo Sole
Germanicum anhelat Imperium,
Hôc ad Divos ſuſpiriô:

sVCCVrrIte tanDeM!

Claud: de Bello Gildonico.

Et iſtô:

Phosphore, redde diē! qvid gaudia noſtra moraris?
CÆSARE venturô, Phoſphore, redde diem!
Jam CÆSAR vel nocte veni, ſtent aſtra, licebit:
Non deerit populo, TE veniente, dies!

Mart: l. 8. Epig:

Sed absqve fulmine vehi Tonantem

Suſpiciens Romanum Imperium, ſtupet attonitùm,
MAJESTATEMq́ve veritum interpellare,
Dum anxium de inimicorum Marte frangendo,
Caſari Ferrum dari poſtulare viſum eſt,
Cauſam audit redditam ex Bilbilitano Vate:

Dic mihi, qvem portes, Volucrū Regina, Tonantē,
Nulla manu qvare fulmina geſtat? amat.

Mart: l. 5. Epig:

Hactenus Armatæ laudes; nunc, qvalibus Orbem
Moribus, & qvantô frænat, metuendus, Amore.

Claud: in Conſ: Fl: Stil:

Amori tanto reddit amorem Orbis

Patrius, Imò & Tellus univerſa:

Diligeris populo non propter præmia, Cæſar,
Propter TE populus præmia, Cæſar, amat.

Mart: l. 8. Epig:

Dilexêre priùs pueri, Juvenésqve, Senésqve,
At nunc infantes TE qvoqve, Cæſar, amant.

Id: l. 9.

\- Qvis enim Princeps non omnibus egit
Obſeqvijs, Dominum ſeſe, Patrémqve vocari:
Qvæ Tibi Continuis reſonant convexa diebus.
Claud: in 2. Conſ: Stil:

Demum Vota omnium Provinciarū

Defert Oenipontum, ad Imperij Solium
Properanti

AUGUSTISSIMO:

\- - Procede Secundis
Alitibus! - - ſtrictis Qvem fulgida telis
Inter Laurigeros aluerunt Caſtra Triumphos;
Claud: de 3. Conſ: Honor:

\- - *Nam* ſemper venêre triumphi
Cum trabeis, ſeqvitúrqve Tuos Victoria Faſces.
Idem de 4. Conſ: Honor:

Propera sVCCVrrere DaMnIs!
Claud: l. 2. in Ruf:

Et jam

Sub CAROLI adventũ lacrymas Germania terge
. Magnetem in Magno Cæſare Regna colunt;
Attrahit ille qvidem, pro conſvetudine, Ferrum:
Enſe tamen non vult lædere, *Tutor* adeſt.

NU-

NUMERUS VIII.

Germania

AUGUSTISSIMO

NEO-SOLI

CAROLO VI.

Electo Romanorum

IMPERATORI

In Sphæras Cæli Teutonici,

Et

CORONAM ANNI

M. D. CC. XI.

Circulos Imperij
Candore deſert Germanô.

Pſ. 63.

ODE II.

Non ego virentes Laureas,
Uni datas diei,
Cantabo, qvales floridô
Amat Poëta buxô;
AUGUSTE TITAN! Tempora
Ambit venuſta Laurus,
Sed Ipſa tempore cingitur,
Breviſqve floret ævô.
Aliam Supremo Vertici
Aptare nunc CORONAM

Mens eſt, & aptam ſæculis:
QvamCirculi parârunt;
Ex me Coronam defero,
HancTevtonum dat Orbis:
Erit Corona plurium
Præſaga ſæculorum.
Germaniæ ſunt Circuli:
Sol Imperator eſto;
Fulge! Tuóqve lumine
Meos beabis Orbes;
Ortus ſecundô Phoſphorô
Sic jugiter micabis,
Ut occidentem neſcias,
Noſcaris Occidenti:
Suúmq; et Oriens Cæsarem
Te cupiat,& Monarcham:
Utriusq, Temet Imperî
Uterqve adoret Orbis.
Ergò Serenos invehe
Nobis dies, & indè
Die beabis optimô,
Cùm perpetim micâris.
Auguste Mundi Cynthie!
Belli fuga tenebras,
Radióqve da Germaniæ
Sereniore Pacem;
Dum Fas,decúsqve poſtulant,
Æqvâ micante luce,
Perſtringe vultus hoſtium,
Cor Civium ſerena.
His ergò SOL fulgoribus
Plenis Tuóqve Amore,
Dum Nos foves, à pectore
Omnes fugas timores.
Sic TIBI Süaves Numina
Favonios perennent,

Blan-

Blandóqve jungat fædere
Felicitas honores.
Hic primus Annus fulgidum
Tibi ſæculum ſerenet,
Et Sceptra TECUM dividat
Saturnus omnis ævi:
Carbone nullus unicam
Atret diem *Planeta*,
Albis fluant arenulis
In clepshydras, & horas.
TE ſemper Ottomannica
Fulgêre *Luna* cernat,
TE ſtante, cæſa concidat,
Cruenta lacrymetur,
Mars ſæva qvæq; fulmina
Si duriùs minetur,
Calcabis illa bellicô
Victorioſus Orbe;
Nam ſum̃a honorum culmina
Lunabis in Coronam,
Et Laureati vertices
Sternentur in Triumphos.
Tu qvoqve ſecundô, *Mercuri*,
Caduceô micare
Si CÆSARI tardaveris?
Diem timeſce SOLIS.
Supremus Ipſe *Jupiter*
Tuis benignus armis,
Tibi miniſtret fulmina,
Qvibus petantur hoſtes.
Venus venuſtet Auſtrios
Fœcunda rore Campos,
Gaudebit Orbis CÆSARI
Centum virere Lauros;
Saturnus horas aureas,
Et ſæculum reducat,

TIBIq́; pangat Lauream
Pro Sabbatho qvietem.
Sic TE reverſus millies
Toties CORONEt Annus,
Æternitatem Circuli
Qvoties mei figurant:
Ut ſæcularis millies
CORONA ſis & ANNI.

Et jam advenerât XIX. Decembris,
Incidens in diem Sabbathi,
Cùm Francofurti ad ripam conſidens:

CAROLUS advenit! redeunt *Saturnia* Regna,
Sæcula ſunt *Auri*! Mœnus amœnus ait.

Mox Urbis Genius ad Portam ingredienti
AUGUSTISSIMO
CAROLO
Demiſſiſſimè acclinis ſubjunxit:

MAGNE, Triumphales fugiſti, CÆSAR, Honores,
Dum prohibes, nè *Arcus* erigat Imperium;
Aſſurget *Triplex* tamen Auguſtiſſimus *Arcus*:
Scilicet Imperij *Trina Corona* Tui.

Ipſa Svada, cui e vultu
AUGUSTISSIMÆ CLEMENTIÆ
Acceſſerant:
DVLCè LoqVenDI ponDera,

Alluditur ad illud. Claud: de Conſul: Mal: Theod: Dulce loqvendi pondus.

Maje-

Majeſtate tamen attonita dicere

Solùm potuit:

Magnũ,&Grande Tuũ Nomen, mihi DVLCè LoqVenDI
PonDera dat: SOL ô, CAROLE *Dulcis*, ave!

Succeſſit Muſarum Præſes:

pIerIIs aVres paCIfICare MoDIs.

Claud: de bello Gildonico.

AonidesMuſæ! melos immortale canamus!
pIerIIs aVres paCIfICate MoDIs!

Et Urbe totâ in ADVENTU,

Dum Eccleſia duplicabat illas Antiphonas: ô CLAVIS! &c.
Pariter duplicatô jubilô inſonuerunt:

C. Clavis!
A. Adonai!
R. Rex!
O. Oriens!
L. Legifer!
E. Em̃anuel!

O! C. Clavis.
Dum Lucem reſeras, es *Clavis*, Phæbe, *Diei*:
Corda aperis; *Clavis*, *CAROLE*, *Cordis* eris.

O! A. Adonai!
Orbes in Cælis *Dominum* Te, Phæbe, fatentur;
TE *Dominum* in terris Orbis uterqve colit.

O! R. Rex!
Zodiacus *Solium*, Sol *Rex* eſt, Aſtra *Coronæ*:
Rex toties, qvoties SOL qvoq; CÆSAR eris?

O! O. Oriens!
Qvando oritur, Soli eſt ſua Purpura: bellè
Porphyrogennetes, CAROLE, natus eras.

O! L. Legifer!
Lex Lux eſt; *Sol* Lucifer ergò *Legifer* eſto;
Dux, Lux es, *Rex*, Lex: *Cæſar* utramqve dabis.
O! E. Emmanuel!
An foret Emmanuel ſemper, ſi SOL DEUS eſſet?
Occiduus, nobis non foret Emmanuel;
Aſt ubi ab Occiduis oritur SOL CAROLUS oris,
Certè *Nobiſcum* nunc erit Em̃anuel. *

* *Nobiſcum* DEUS.

NUMERUS IX.

SOLIS

AUGUSTISSIMI

CAROLI VI.

In Romanorum

IMPERATOREM

Splendidiſſima CORONATIONIS *Dies*
A SOLE NOVO *Serenior,*
Augeſcens ab AUGUSTISSIMO.

ELOGIUM V.

Jámqve dierum Princeps aderat,
Et dies Principum,
Spectaturus SUMMUM in SOLE
MONARCHAM,
In MONARCHA SOLEM;
Dies, qvem terreſtris magìs illuſtravit

Sol

Sol arcu CAROLUS,
Qvàm Cæleſtis Phœbus
Arcitenentem emenſus.
Fecit iſte Dierum *minimam*, (ret:
Subtractô fulgore, nè *modicam* lucem ſuã erubeſce-
Ceſsitqve primas CAROLO,
Ut *Maximam* faceret.
Indè à NOVO SOLE Dies,
In dies ſumpsêre *incrementum*.
Rectè Tropicus tunc Capricorni affulſit,
SOLI NOVO ab Heſperio Vellere *Tropicum*,
Seu *Reditum* ſuum adornanti, & coronanti.
Revertere, revertere!
Clamabat *Dierum Univerſitas*,
SERENISSIME,
Ut AUGUSTISSIMO ſplendore augearis,
Et intueamur TE. Cant: 6.
Certatim ſeſe offerebant *Dierum Septem-Viri*,
In *Corona* bajulos, & SOLIS NOVI.
Dies *Mercurij* hæc ſibi vendicabat nuncia,
Portinus vulganda,
Sed ultra vulgus:
Et *Caduceum* deferebat in *Sceptrum*
PRINCIPI PACIFICO.
Dies *Jovis* Jovialia parabat Hilaria,
Coronámqve præſentabat
Cum *Jove* communem:
Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet. Ovid.
Dies *Veneris Pomum* cum Junone, & Pallade,
Sed POMUM IMPERII,
Tantæ maturabat MAJESTATI;
Detur, inqvit, *Pulcherrimæ.*
Accipiet Regnum decoris, & Diadema ſpeciei
De manu Domini. Sap: 5. 17.
Dies *Saturni* longævitatem ſpondebat,

 Et

Et prolixa vitæ ſtamina in Paludamentũ texebat.
DIES SOLIS ſibi lucem hanc
Ex ipſo nomine adſcribebat;
Dies *Lunæ* pro ſe
Vel *primum CAROLINI NOMINIS*
Characterem trahebat.
Sed *Martis* Dies enſe ſuô nodum reſolvit Gordiũ;
Imò non ſuô, ſed CAROLI MAGNI:
Qvi *primus* in CORONATIONE
Cæſari offertur.
Et qvidnî Die *Martis* CORONARETUR,
Qvi *Lunæ ELECTUS* eſt?
Secundâ Lunâ ELECTUS, Primâ NATUS.
Ità ad 1. adjectô Numerô 2.,
Ex 1. Octobris, facta eſt 12.,
Ex *Geneſi* ELECTIO Ejus,
Qvi *natus* eſt ad *Coronas.*
Auxit CORONATIO *Secunditatem*, & *geminavit*,
22. Decembris, *Supremi* Menſium:
Ut ſubinde 22. Maji, *Principis* Menſium
Corona STEPHANI alluderet *Imperiali.*
Certate Dies omnes, & Dimicate,
Ut *Martis* fiatis!
Si *Romani* Annum à *Martio*,
Romanos decet Cæſares
A *Marte* Ephemerides auſpicari.
Tota *Corona* Veſtra
In SOLIS abeat *Coronationem.*
Dies *Mercurij* ſubſeqvens
DIVAM annuntiat VICTORIAM;
Hæc *Martis* armis *Coronas* aptat,
Cum Epigraphe Alexandri Magni
Ex Athenæ l. 12. c. 16:
Ortus, & Occaſus, Aqvilo mihi ſervit, & Auſter.
Dies proximus JOVIS *Largum* adjungat *Veſperum*
Cum ARCHI-THESAURARIO
Monetam ſpargente. Dies

Dies *Veneris Vitam*, *& Salutem*
NEO-CORONATO acclamet,
Cum Natali Salvatoris:
In Ipſo VITA erat, *& vita erat Lux.* Joan: 1.
Miniſtrabit & oleum, *Romana* hôc olim die
Affluens *Ciſterna*,
Qvô ungatur CHRISTUS DOMINI.
Sabbatum cum D. STEPHANO,
Coronas vel *Nomine* loqvente,
Avenam cumulatim diſpergat,
Pro ARCHI-MARESCHALLO dimetiente.
Lux *Solis* imminens, *Vina* è *fontanis* profundat
Cum Divo JOANNE EVANGELISTA,
ARCHI-PINCERNAM ſupplente.
Qvid Ultrà?
Certate pro CORONATIONE *Dierũ* Magnates:
Non coronabitur, niſi qvi certaverit.
Creſcite ab hoc Tropico,
Et multiplicabimini! Gen: 1.
Omnes deniqve *Dies*, SOLIS eſtis!

Epigramma.

Solis erat, *Martiſne* Dies, qvâ *CAROLE SOLEM*
Induis, *Auguſtum* qvâ *diadema* capis?
Si *Mars* in terris *ferrum*, *Sol* excoqvit *aurum*;
Aurea lux *Solis*, *Ferrea Martis* erit.
Eſt Solis, qvæ Te Imperij *Diademate* cinxit:
Qvæ CAROLI *Ferrô* Principe, *Martis* erat.

 Pro-

Prognoſtica
Secundiſſimi Regiminis
CAROLINI
A
FORTITUDINE, & CONSTANTIA:
AUGUSTISSIMO
SOLI
Concinnata.

I.

Ex numero Diei Genethliacæ, Electionis,
Et gemino Anagrammate.

Ut *Primas* teneas, * *primâ* Ortum luce capeſſis: 1. Octob:
 * *Bis ſextâ* Eligeris, CAROLE *Sexte*, die; 12. Oct:
Zodiacum hôc numerô, & *Curâ*, *Sol* CAROLE, reples:
 Annos *O*! MVnDI gLorIa! *CLarVs* ages.

II.

Ex Natali, & Electione Cæſarea
In AUTUMNO.

Num Paradiſus in Autumno, num vere creatus?
 Eſt anceps: *fructu flos* ibi miſtus erat;
TU plenô *efflores* autumnô, CAROLE, *fructus*
 Inter: an in terris jam *Paradiſus* erit?

III.

III.

Ex Numero Sexti,

Et Nomine CAROLUS, Cabaliſticè

444.
4.
4.
4.
12.

Romanæ Auſpicium ſumunt à *Vulture* Palmæ,
Romule dum *bis ſex*, *ſex* qvoqve *Reme* vides;
CAROLE, qvantorum ſis auſpex Ipſe Bonorum!
Bis ſex ùt CAROLUS, *ſex* qvoqve *Cæſar* habes.

IV.

Ex Die Lunæ Nativitatis,

Et die Martis Coronationis.

Luci TE Lucina dedit, non feria *Lunæ*,
DUPLI hæc SOLIS erat continuata *dies*;
At qvando occipies *Lunæ* conjungere *Martem*,
Tunc *Luna* à FERIO *feria* jugis erit.

V.

Ex Feſto S. Thomæ Indorum Apoſtoli,

Præeunte Diem Coronationis.

Præceſſit Thomas: nunc, CAROLE, *Credet* Iberus,
Qvòd SOL Indiacis exoriêre plagis.

VI.

Ex Die Coronationis,

Qvæ Martis erat.

Soligenam Volucrem qvæ primùm faſcia ſtrinxit,
Nî Faſces fuerint, * Faſcia *Solis* erat; *Zodiacus.*
Armigeram Volucrem qvæ primùm Laurea cinget,
Aurea cùm fuerit, Laurea *Martis* erit.

 VII.

VII.

Ex Anagrammate:

CAROLUS, O cur ſal.

Qvi *Lux* ſunt *Mundi*, dicuntur *Sal* qvoqve *terræ*;
Ergò *Lux*, & *Sal* Rex es *Apoſtolicus*.

VIII.

Ex Anagrammatiſmo:

Auſtriacus: Juſtus, arca.

Qvæ ſanxit, ſanctè ſervabit fœdera *Juſtus*
CAROLUS: Auſtriaca eſt *Fœderis Arca* Domus;
Juſtitiæ conjunxit amor TIBI, CÆSAR, amicos:
Fœdera, qvæ Virtus glutinat, illa tenent.

IX.

Ex Anagrammate:

CAROLUS, Sol Cura.

Sole Duplô Cæsar geminô Jovis Alite avebat:
Alter erat JOSEPH, CAROLUS Alter erat;
Hinc duplices *Curæ*; Major tamen Unica: dum Sol
Unica *Cura* DUPLI, CAROLE, SOLIS eris.

X.

Aliud:

Antea soL geMInas aqVILas, LeopoLDe, foVebas;
An CV*ra* è DVpLa: soLéne MaIor erIt?

Jám-

Jamqve Status Imperij

AUGUSTISSIMO CAROLO

IMPERATORI

Præſtiterant homagium illô Claud: de Nupt: Honor:

CVnCtI Debere fateMVr.

Nos, & Noſtra Tibi CVnCtI Debere fateMVr:
Noſtrum *eſſe* eſt, Sceptris velle *ſubeſſe* TUIS.
ArbIter egregIæ paCIs, fIDIssIMe CVstos,
Claud: de Nupt: Honor:
O, Oleas Patriæ, fac revocare velis!
Sin TIBI bella placent: Hoſti es MetVenDVs AChILLes,
Ovid: l. 13. Metam: fab: 2.
BeLLIDVCVM ſpes es, Prælia noſtra rege.
Auſtriacis, noſtriſqve vireſcet Gloria Campis,
Lauris, ſeû *Oleis INDUPERATOR* agis.

Et

Acclamantis undiqve Populi Una exauditur Vox:

Imperij *Primus* Germani eſt CAROLUS *Author*:
Auctor ſed CAROLUS *Sextus* dabit Incrementnm.

NUMERUS X.
AUGUSTISSIMI
NEO-SOLIS
CAROLI
Romanorum
IMPERATORIS
SERENISSIMA
CLARITAS.

ELOGIUM VI.

CAROLUS.
Anagramma: O CLARUS!
Sangvine CLARUS, & Factis, **Senec: Oedip:**
CLARUS & Oſtrô, **Virg: l. 11. Oeneid:**

CLARUS SANGVINE:
Geminos Soles mirari deſinat Orbis, **Claud: in Eutrop: 1.**
In LEOPOLDO
Claritatis CAROLINÆ fontes:
- - *Cui Sangvis*
- *Regnum cum Luce dedit;* **Claud: de 3. Conſ: Honor:**
Neſcit luminis obſcuriora incunabula,
Aut minora Prodigia
Porrecta Majeſtas ad Ortum

Solis

Solis ab Heſperio cubili, Horat: l. 4.
Imperium diei ſortita, & noctis:
Ut Soli non deeſſet Siderum qvadriga,
Regnorum Radios Sol Duplus detraxit ſibi,
Ut CAROLUM coronaret;
Imperij in ſangvine transſcripſit habenas,
Ut excurreret ad Regnorum metam,
CUI æther
Imperium ſinè fine dedit.
DILUCLUM * An: 1711. die 12. Oct:
Naſcentis, in *diem* diluxit *perfectum*:
Solis Orientis non videns incrementa,
Cum qvo Lucis Meridiem invexit Auſter.
- - - *Non orbita Solis,*
Non illum natura capit; Claud: in Ruff: l. 2.
Patrum
Inveniet virtute viam, Id: de Bell: Gild:
Donec plures impleat Orbes:
Qvibus dum CLARIOR orieris,
NVnqVaM oCCIDes
SOL AUGUSTISSIME!

CLARUS & FACTIS:
- - - *Magnum mihi panditur æqvor,*
Ipſáqve Pierios laſſant proclivia currus
Laudibus innumeris - -
Si partem tacuiſſe velim, qvodcunqve relinqvam,
Majus erit; veteres actus, primámqve Juventam
Proſeqvar? ad ſe ſe mentem præſentia ducunt;
Narrem Juſtitiam? reſplendet Gloria; Martis
Armati referam vires? plus egit inermis;
Claud: in 1. Conſ: Stilic:
Tantáqve ſe rudibus Pietas oſtendit in annis,
Sic ætas animo ceſſit, qvererentur ut omnes,
Imperium TIBI ſerò datum.
Id: de 3. Conſ: Honorii

Sile faſtos Fama!
A Fatis Cæſarum
Cùm FACTIS CAROLUS implet orbem:
Citiùs Palmas numerare doctus, qvàm annos,
Qvas non Pharſalicis, ſed Auſtriacis infereret Campis
Pietas laureata:
Jam tunc *Catholicam* venerabatur Occidens,
Et cadenti ad Aras Principi
Aſſurrexêre Turres Hiſpaniæ,
Orientem jam Solem in Occidente excepturæ,
Cùm inoccidua Eas circumfulſit Claritas,
Et REX
Diſperſit cum Sole manus: Claud: in Ruff: l. 1.
Ut dum rutilũ fulgorem ab Armis indueret dextera,
Candore Pacis ſiniſtra radios refringeret,
Et Candida in Toga Orbi inveheretur Aureus,
In Rubea Sagi cyclade radiaret Purpureus.
Commune Virtutum certamen:
Utra prior à SOLE ſplendorem hauriret,
Radium ab AUGUSTO exciperet:
Ferrúmne ſtaret vindex pro SOLIS acie à *Juſtitia?*
An Oleâ cingeretur Vertex, à Clementia?
Ut in auream Felicitatis progerminaret frondem:
Laureásne Pallas daret *Togata*, an *ſagata?*
Nisì utriusqve Frondes maritâſſet
Clariſſima CAROLI Gloria;
Qvæ in Sago *Pium FACTIS* oſtendit *REGEM*,
In Toga *Fortem* manu extulit *IMPERATOREM*;
Utrôqve
Candidum, & *Rubicundum*
Principem Auſtriacum.

CLARUS & ASTRO.
Triſtè rubuit Imperij Cælum ſub occaſum
JOSEPHI,

Cui

Cui accidebant Sidera Imperij,
Majeſtatem etiam in Adoleſcentia adorantia;
Citra ſomniorum fatidicas, an vatidicas noctes?
Diei deſperâſſent ſereni Lucem,
Nisì
Clariſſima SERENITATIS TUÆ bajula
Purpureum habuiſſent exortum
Poſt luminare JOSEPHUM
OCCIDVVM,
Poſthac
InoCCIDVVM
In TE
CAROLE:
Nubila diſſolvit Phœbus, pariterqve dabantur
Sceptra TIBI, mundóqve dies.
Claud: de 4. Conſ: Honor.
At
Illuſtris Scenæ novitas:
Dum purpura non CÆSARIS ambit humeros,
Sed in pedum defluit tæniam:
- - *Ultro ſe Purpura ſupplex*
Obtulit, & ſolus meruit regnare rogatus. *Id: ibid.*
Erubuit tunc primùm Regalis murex,
Cùm penè ſpretus refugit ab ore Principis:
Nec à nativo purpuriſſo inclaruit unqvã magìs,
Qvàm cùm ſic rubuit,
Et poſt Regum Lacertos
Avidus jam CAROLI cupiebat illuſtrari veſtigijs,
Qvæ Vitæ *Clariſſimæ* ſignabant Faſtigia
Ad Virtutis Avitæ decora
In
PORPHYROGENITO:
Cui non Sangvis oſtrum tinxit, ſed Pudor,
Qvô vitiorum puduit induere ſtibium:
Qvi lucebit Imperio, Regnîsqve,

Et
In nova Purpuræ Aurora
Unâ gemini Orbis voce audiet:
QVaM soL CoLLeCtIs es CLarVs, Cæſar, ab aCtIs!
pVLChrIs sVCCeDes LeopoLDo, CaroLe, faCtIs!

NUMERUS XI.

Solē certiſſima ſigna ſeqvuntur.

Virg: Eclog: 6.

Divinatio Laureata

Ex

AUGUSTISSIMO

NEO-SOLE:

CAROLUS

Anagramma

C. Lauros.

100.

ELOGIUM VI.

Auſpicatum *Omen* in *Nomine*!
Occidentis LEOPOLDI Heſpere,
Orientis JOSEPHI Phoſphore,
IPSE jam Heſperiæ,
Qvin & Imperialis Empyrij SOL
CAROLE,

Cen-

Centum PATRIS Inviċtiſſimi,
Centum FRATRIS Auguſtiſſimi,
Centum TUAS *Lauros*
Exhibes, & portendis;
Plures longè, non tam aſsymbola,
Qvàm congenita
FORTITUDO, & CONSTANTIA compromittunt:
Qvibus
Adeò ſublimem, Juvenilibus adhuc in annis,
Victoriarum conſcendis Apicem,
Ijsdem poſthac Ducibus:
- - - Partiri non potes Orbem,
Solus habere potes. *Luc: 1. Pharſal:*
Totáqve ſub Regno Terra futura TUO eſt. *Ovid: de Art.*
Nimirum,
Præ Aurea Ancillantium Regnorum Corona,
Regalis Domeſticæ præplacet Virtutis LAUREA:
E qva omnem aliam profligas fulgoris baccam,
Qvã Heroicus proprij ſudoris unio non inſeruerit.
Qvalem,
Veterum Romanorum more,
Dum non aliqvando unam, ſed qvotidie plures,
Per tot reportas Triumphos:
Qvot,
Boni Superi!
Pretioſô ejusmodi cimeliô interſtinctas
Numerabis LAUROS!
De qvibus Vatidicè cecinit Claudianus:
Utq́ve Hoſtes armis, meritis ſic vincis Amicos; *Paneg: in Stil:*
Hac utrâqve glorioſâ Victoriâ
Tantam LAURORUM colliges meſſem:
Ut Glorioſiſſimam TUAM, nec niſi
Coronatos Vertices
Gignere gnaram DOMUM AUSTRIACAM,
 Alio

Alio deinceps Nomine:
Domum nuncupemus LAURETANAM;
Tot *Trophæis* conſpicuam,
Qvot alteram, qvam in Italia adorat Orbis,
Prodigijs novimus abundantem;
Cæli hæc Reginæ, Illa terreni Imperatoris
Auguſtale eſt:
Indè Utraqve glorioſior,
Qvòd una Cæleſtium Principum Palmis,
Altera Inviĉtiſſimi Brachij TUI robore
Facta ſit LAUREATA.
Gaudete jam
Candido-rubicundi Campi Auſtriaci!
Eâdem fortunatiſſimâ dexterâ,
Qvâ fulgidiſſimus NEO-SOL CAROLUS
Maximè LAUREATAM
DOMUM fecit AUSTRIACAM:
Etiam Vos
In virentia ſemper transplantabit *Laureta*;
Nîl terrent fulmina LAUROs:
Coruſcationibus ſuis
Splendoris adferre poterunt incrementum,
Non nocumentum.
Ceſſet nunc ſuas jactare Lauros
Capitolinus Jupiter,
Qvas *peregrina*, non Domeſtica
Plantavit *Fortitudo*:
Domi ſuæ glorioſiùs, uberiúsqve
CAROLINÆ progerminant;
Qvæ, ubi
In ſublimiſſimam, Cælóqve Æmulam
Aſſurrexerint altitudinem,
Gentilitiæ advolabunt Aqvilæ,
Ac decerptis Argenteis, Aureisqve baccis,
In Facie Univerſi,

CEN-

CENTUPLICATAS Principis ſui
VICTORIAS divulgabunt.
Hæc dum tutô Præſagiô,
Germanicum ſibi adpromittit Imperium:
Gloriatur Interim Hiſpania
A Geometris in formam *Capitis* effigiata,
Qvòd ſub SERENISSIMO REGE ſuo
Caput evadat *Laureatum.*

Subſcripſit Romana
Arithmetica:

L. DVpLICatVM.

L. Se ſi *duplicet*, fit C., Leopoldus in Uno

Se duplicavit
CAROLO:

C. gaVDet CentVM I.

I. Si *centuplices*, fit C., Josephus in Uno

Centuplicat ſe
CAROLO:

Sic, PATER Imperium Cæſar, ſic FRATER amavit,
CAROLUS, ut toties Unus Uterqve foret;
Centuplica plauſus Germania! CAROLO in Iſto
Annus *Laurorum* Bis Jubilæus erit.

NUMERUS XII.
Divinatio Ter Auſpicata
Ex Aſpectu Trigono
AUGUSTISSIMI
CAROLI VI.
NEO-SOLIS.

ELOGIUM VII.
Odis intermixtum.

CAROLUS
Romanorum Imperator *bis Tertius*,
Rex Hiſpaniarum *Tertius*,
A Morte LEOPOLDI annô bis *Tertiô.*
Ex EJUSDEM AUGUSTISSIMA
CONJUGE *Tertia*
FILIUS *Tertius*,
Inter Proles univerſim LEOPOLDINAS
Qvater *Tertia*,
A Nativitate Sua
Annô Vigeſimô, & *bis Tertiô*:
UNUS TRES:
CAROLUS MAGNUS, IV. & V.
Pius, *Sapiens*, *Fortis*,
Populorum
Saluti, *Solatio*, *Spei.*

CA-

CAROLI SEXTI
PIETAS CAROLI MAGNI.

PIUM prædicare
CAROLUM MAGNUM,
Eſt Phæbum tædâ illuſtrare:
Emendicatô haud opus eſt Illi ſplendore,
Qvi luce propriâ orbem irradiat;
Ut Solem è Solio ſe probaret,
Ortus eſt ſuper bonos, & malos:
Luxit
Bonis in ſeqvelam,
Malis in medelam.
Errorum tenebras per Germaniam fugavit,
Verè Orthodoxæ *Majus* Religionis *Luminare*,
Germanum Solis Juſtitiæ parelium,
Pijſſimâ teſtante Teſſerâ:
Chriſtus regnat,
Chriſtus vincit,
Chriſtus triumphat.

CAROLUS VI.

Auſtriacus eſt:
Satis dixi.
Natura ipſa ferè ante Virtutem PIUM fecit:
Primis mundo affulſit radijs
Feſtâ S. Præſulis Remigij Luce,
Ut jam tùnc Sacro Regum Oleo deſtinaretur,
Qvamvìs ante Oleum jam Sacer.
Nondum ferè rationis diluculum illuxerat,
Jam Austriacæ Pietatis meridiem exhibuit,
Augem reperiſſe ſe reputans:
Dum,
Coram Sole Evchariſtico humi prociduus,
Totam Terreſtris Solis Regiam
Pietate accendebat;

Tantam exinde nactus lucem,
Ut totam illuſtrârit Evropam:
PIETATE deinceps propagaturus Imperium
Ab Ortu, uſqve ad Occaſum;
Vaticanô nuperrimè Oraculô:
PIENTISSIMUS PRINCEPS.
De pIetate refert CaroLVs VenerabILe noMen.

DIVINATIO
Muſæ Vatidicæ:
Naſcituræ ex CAROLINA PIETATE SALUTIS.

Romanis Sociata Aqvilis Germania plaude!
Dum Novus Imperio ſpargit APOLLO jubar.

ODE III.

Vultus, & ora Rhenus
Serenet, atqve Mœnus,
Moſella plauſus intonet,
Lætus Viſurgis conſonet!
Exortus Orbe PHÆBUS,
Noſtris medela rebus,
PIIS refulget ignibus,
Domûs Avitæ inſignibus.
SOL! fauſtitatis ædes,
Potentiæq́ve Sedes,
PIETATIS es Palatium,
Noſtrúmqve Lux Solatiũ.
Hæc Lux decus dierum,
Felicitásqve rerum:
TE SOLE, nobis jugiter
Favebit & Dieſpiter.

Rena-

Renata Lux novorum
Eſt ſcena gaudiorum,
Dũ Sol novatus ſplendicat,
Nobis Salutem vendicat.
Hinc æqvor omne plaude!
Romana terra gaude!
Dũ Luce Sancta pingeris,
Salutis arrhâ cingeris.

CAROLI SEXTI
SAPIENTIA CAROLI IV.

SAPIENTIÆ Oriens
VIRTUTIS Splendor:
Qvia *Initium Sapientiæ Timor Domini;*
Illam ut, cum *Bonaventura*, *CAROLUS Qvartus*
Ex *Dominico* hauriret *Latere*,
Solennitatem *Lanceæ*, & *Clavorum* à Clavibus
Petri impetravit.
Probavit etiam tunc ſe SAPIENTIÆ *Salem*,
Cùm plurimas Sanctorum Reliqvias ad guſtum
Intulit Bohemiæ, ut Catholicè ſaperet.
Muſas ſemper amicas habuit,
Qvas Pragenæ Tripolis fecit inqvilinas:
Ut APOLLINEM ſe exhiberet;
Utq; SAPIENTIÆ ſuæ radios ampliùs propagaret,
Multis lingvis loqvebatur Oracula;
Doctorum diſceptantium Scenas
Suas dictitabat *canas.*
CAROLUM SEXTUM
Eôdem cum Minerva thalamô diceres prognatum,
Niſi nôſſes diſcrimen:
Qvòd Illa fabuloſô,
HIC verô JOVE ſit progenitus,
Verus APOLLO.

LEOPOLDUS, Magnus fuit omnibus Titulis,
Hôc Maximè Glorioſus,
Qvòd CAROLUM genuerit SAPIENTEM,
Sole in *Libra* conſiſtente, ſub *Æqvinoctium*;
1. Octob:
Debuit nempe dierum,
Et noctium eſſe æqvalitas,
Cujus SAPIENTIÆ, & ÆQVITATI
Dies omnis, & Menſis eſt in *Pondere*, & *Libra*.
Feſtâ Divi Maximiliani Luce
Hemiſphærium Germaniæ
Electus in Imperatorem 12. Octob:
SOL novus Ingreſſus eſt,
MAXIMUM SAPIENTIÆ LUMINARE:
Meritò ut Ipſa

CaroLVM sapIentIa LaVDet.

Divinatio

Ejusdem Muſæ:

De Orituro ex SAPIENTIA SOLATIO.

ODE IV.

Læta jam plauſus, bona Muſa, prode,
Et novâ gaude modulantis Ode,
Principis Noſtri SAPIENTIS Ora
Semper adora.
Cingito Laurêâ Caput Hoc Coronâ,
Hæc decent Phæbum peramæna dona:
Dulce Solamen dabit Imperantis
Dextra micantis.
CAROLUM SOLEM reverens ſaluta,
Sæcla qvi reddet, faciétqve tuta;
Qvidqvid infeſtum, feriet Potentis
Lux SAPIENTIS.

Jam

Jam ſtude lætis geminare votis,
Et fibris gaude celebrare totis
Gloriam SOLIS, Patriámqve amantis,
Atqve beantis.

CAROLI SEXTI
FORTITUDO CAROLI V.

CAROLUM Qvintum
A Fortitudine Atlantem,
A Victorijs Herculem
Adorat
Evropa, Aſia, Africa, America.
Genuit * Gandavum:
Significat manum, vel Chirothecam.
Et Manum *fortem* prognoſticabat ad prælia.
Fortitudine adultâ
Prætexta reſplenduit;
In Martem ſic perpetim influxit,
Ut ferrum illius mutârit in aurum.
Sic SOL (tur,
Inter Bellorũ Tempeſtates Fortitudine eluctaba-
Ut Fulgore Victoris
Pallerent Lunæ Thracicæ Cornua,
Franciſci Lilia marceſcerent,
Heſperidum Horti refloreſcerent,
Campi Auſtriaci vireſcerent.
Fœcundatô per cruentum bellorum *diluvium* Orbe
Pacis *Olivam* prolicuit;
Et qvod caput eſt omnium
Plùs ultrà!
Victô Orbe, Victor ſui
Implevit iſtud:
Fortior eſt, qvi ſe, qvàm qvi fortiſſima vincit
Mœnia.

CAROLO SEXTO
Contermini FORTITUDINIS Limites,
Carere Limitibus.
Martem Tellus, Neptunum Oceanus
Pariter FORTEM adorant.
Inſcripſit columnis Herculeis CAROLUS V.

Plùs ultrà!

Non plùs ultrà

ATLANTI inſcribet GEMINO
CAROLUS TER SECUNDUS:
Qvem SOLEM Sphæra Terreſtris circumſcripſit
Hâc Epigraphe:
Attingit à fine uſqve ad finem Fortiter.
Inſcripſit *Spes*:
Detriumphabit Orbem Terraqveū *CAROLINA*
FortItVDo CV M ConſtantIa.

Divinatio
Ejusdem Muſæ
SPEI Maximæ ex FORTITVDINE.

O D E V.

Huc! qvotqvot Iberica terra clientes,
Huc! qvos Alemannia cenſet egentes,
Qvos Mars animavit,
Bellona vocavit:
SOL fulget amœnus!
Splendore Serenus!
Victoria certa eſt!
O! cælica res!
Nunc noſtra fit amplior undiqve SPES.

Dum

Dum FORTIS hic Auſtriæ APOLLO favebit,
Victricia nîl nisì Signa videbit;
Et læta volabit,
Cunctósqve beabit,
Qvos aut habet unda,
Tellúsve profunda,
Ah! Cæſaris Ales!
O! Gemmea Res!
Ah! plaudite, noſtra fit hoſpita SPES!
Dum tantus ab æthere ridet APOLLO,
Cur non ſuper æthera gaudia tollo?
SOL deplue rores,
Et perfice flores,
Sint fructus amorum
Hæc vota priorum.
Cantabit Alauda:
O! florida fax!
Et gratior audiet aurea pax!
Sic, CAROLE, ſæcula plurima Stabis,
Sic ſubdita Regna qviete beabis:
Hiſpania plaudet,
Mars Caſtráqve claudet,
Sic arma qvieſcent,
Solatia creſcent,
Sic Patria ſtabit,
Germanáqve Lex,
Dum ſtabis in æthere CAROLE, REX!

Digitized by Google

Divinatio
Ejusdem Muſæ
Ter Fauſta
Ex
NEO-SOLIS
Imperij,
AUGUSTISSIMI
CAROLI VI.
Romanorum Imperatoris
NUMERO
TER SECUNDO.

Obmuteſce prodigioſum Memnonis os;
Alium jam venerantur SOLEM
Clariſſima Evropæ Sidera:
Exortus eſt ab Occidente,
Ut,
Converſô Naturæ Ordine,
In Orientem deproperaret
Propriô, Sibiqve congenitô motu Gloriæ.
Novum El Evropa cedit in Coloſſum:
Ad qvem immortalia tot pendeant monumenta,
Qvot è fulgidiſſimis Ejusdem Radijs
Majeſtatis manabunt facinora;
In Luce Umbræ neſcia clarebit,
Super Hiſpanum *Evropææ Virginis* Verticem
AUGUSTISSIMUS, MAXIMUS,
POTENTISSIMUS,
SAPIENTIÆ, GENERIS, VIRTUTIS

IM-

IMPERIALI SPLENDORE

CAROLUS

Inter CÆSARES ab hoc Nomine CLARISSIMOS

SEXTUS:

Cujus Geſtis
Pariendæ per Imperium Gloriæ
Major Pars Orbis
Se conſecrat in Prognoſticum:
Et ex numero *Ter Secundo*
Sic ominatur:

Protulit immensô *terreſtria* Numina tractu
  AUSTRIADûM Sæclis tot celebrata DOMUS;
Eſt tamen Illa DEO *diſpar*: DEUS *impare* gaudet
  In *numero*: aſt numerô gaudet & Illa *pari*;
Faverat Auſtriacæ *numerus par* usqve Coronæ,
  Atqve magìs qvô *par*, Ille *Secundus* erat: (bit,
Qvàm TUA (vaticinor) CAROLE, Orbis geſta ſtupe-
  Nomine dum toties, *Réqve ſecundus* eris.
TE SOLEM Imperio Evropæa *Ter* ASTRA *Secundum*
  Jam dederunt: an non TE qvoqve *Luna* colet?
Hoc aget: Et Radijs Otomannica Luna *Secundis*
  Imperium *numerô* junget *Utrumqve pari.*

ODE IV.

Ad
CAROLUM
AUGUSTISSIMUM
SOLEM.

Conſiſte! SOLIS Tevtonici jubar!
Conſiſte! Cæsar CAROLE! dum Tuô
Parumper orbari nitore
Heſperiam pateris rogatus;
Poſtqvam tot Oris Unicus imperas,
Deêrátqve ſolùm, solus ut unicè
SOL *Orbis* occupes pupillum
Imperium radiante Luce:
TE ritè, tantô tractus ab arbitrô,
Septem-Viratu, deligit Orphanus
Germanus Orbis, atqve primus
Heſperium veneratur ortum.
Exhinc adorat Te Patriæ Patrem,
Ponitqve in aſtris: auſpiciô Tuô
Evropa Tota dum ſub armo
Tuta Tuô latitare geſtit.
Hæc vota novit Tevtonicis fibris
Infixa cælum; novit: & ordinat,
Ut SOL renaſcens *Occidenti*,
Sis qvoqve Sol *Orientis* Orbis.

TeMpora Laſſato DabIt AVrea CaroLVs orbI;
FVLgentes CaroLo pIa ſponDent Aſtra TrIVMphos;
o bona ſpes! oLeæ CaroLô DoMInante VIrebVnt!

NU-

NUMERUS Ultimus.

Francofurtô,

A Coronatione in Solem

IMPERII,

Jam Hæreditarijs qvoqve Regnis,

Et Provincijs exorienti

AUGUSTISSIMO

CAROLO SEXTO.

Pro Anno Milleſimo
Septingenteſimo Duodecimo
Novus XII. Menſium Zodiacus
Adornatur.

Pro Januario,
Bifrons JANUS Viennæ Auſtriæ
Ad Januam Cæſarei Palatij,
Velut Januam NOVI ANNI,
NOMEN
AUGUSTISSIMI
CAROLI VI.
Sub Corona Imperiali, aureis Literis exhibet,

 Cum

Cum Lemmate:

ET pVer hôC DIgnVs noMIne: CæsAR, eras.

Mart: l. 1. Epig: 2. ad Cæſar.

EXPOSITIO.

Nomen Grande refers SOL Auſtriæ, & Aureæ *Jano*:
ET pVer hôC DIgnVs noMIne: CæsAR, eras.
Aureæ CÆSAR ave! patet aurea *Janua* Jani:
Aureus hic TECUM *Janus*, & *Annus* erit:

Pro Februario,

FEBRUUS (luſtrationum DEUS)
Annô bis-Sextili,
AUGUSTISSIMO
SOLI
CAROLO VI.

Regnorum, & Urbium Februa tranſſcribit,
Simul indicat Lemmate:
A DeſtDefenſor VbIq;
Cæſar, & hos aDItVs arCet.

Lucan: l. 10. Pharſal:

EXPOSITIO.

Luſtras, illuſtras annum *bis*, *CAROLE*, *Sextum*:
Et *bis ſextili FEBRUA*, *SEXTE*, facis;
Dumqve *arces aditus*, recti *Defenſor ubiqve*,
Purgas, qvæ non ſunt pura reperta ſatis.

Pro Martio,

MARS

AU-

AUGUSTISSIMO

CAROLO VI.

Iñ *Aureo* Arietis *Vellere* fulgenti, Campum MARTIŨ,
Viámq; ad novam Laurearum Meſſem exhibet,

Cum Lemmate:

VaLLIs MartIa DVCet.
Claud: l. 2. de laudib: Stilicon:

EXPOSITIO.

Plaudite Caſtra! Dies (a) *Martis* Ter Fauſta CORONAM
Imperij CAROLO, MARTE favente, dedit.
VInCeñDos (b) faVstô notat hoſtes oMIne *Cæſar*:
CAROLE, qvà *VaLLIs* (c) *MartIa DVCet*, adi.

(a) *Dies Martis 21. Decemb: Dies Coronationis.* (b) *Eâdem die repulſi, & cæſi hoſtes ante obſeſſam Cardonam.* (c) *Eâdem die advenit curſor Francofurtum de cæſis, & repulſis hoſtibus Ad Fluvium Scarpe, prope Duacum in Flandria.*

Pro Aprili,

APRILIS jubet Taurum ſuum,
Olim Evropæ bajulum,
In abundantiam Gazophylacij Cæſarei

AUGUSTISSIMI

CAROLI VI.

Terras minerales cornibus auratis aperire,
Qvibus inſcripſit Lemma:
Sæpe reMoLIrI LVCtatVr ponDera terræ.
Ovid: l. 15. Metam: Fabul: 6.

EXPOSITIO.

Taurus hic auratis APERIT *cùm* CORNIBUS *annum*, *Virgil: 1. Georgic:*
Qvis dives *Cornu COPIÆ* adeſſe neget?
COPIA non *inopes*, ſed *opes* Hôc CÆSARE reddet,
Pondus *ſvave jugum* fiet, *onúsqve leve.*

Pro Majo,

MAJUS à Majeſtate Nomen ſortitus,

Roſin: Ant: Rom: l. 4. c. 9. *Cum FLORA,*

Dum Gmeinos, ſuum Sidus intuentur,

AUGUSTISSIMO

SOLI

CAROLO,

Simul ARCHI-DUCI AUSTRIÆ,

Ex *Regijs* Floribus, & NOVELLIS Olivarum,

Symbolicam devovent CORONAM,

Cum Lemmate:

sIC DVCIs Vrget aMor.

Claud: de Bello Getico.

EXPOSITIO.

Sunt Majo FLORES, *inſcripti Nomina Regum*, *Virg: Eclog: 3.*
Qvos Campo Auſtriadûm Regia Flora fovet;
Sunt OLEÆ; defert CAROLINAS Ille NOVELLAS *Pſ: 127.*
Menſæ in circuitu: sIC DVCIs Vrget AMor.
ArChIDVCIs nos Vrget AMor! Vernate NOVELLÆ!
Ut ſint ARCHI-DUCES Multa Corona PATRIS!

Pro Junio,

JUNIUS, à Junioribus dictus,

Ovid: l. 6. Faſtor: *Amore*

AUGUSTISSIMI

CAROLI,

Recenter in REGEM HUNGARIÆ Coronati,

Incaleſcens, & ſub umbra Palmæ reqvieſcens,

Subitò illuſtratus

A SE-

A
SERENISSIMO SUO
SOLE,

Per Signum Cæleſtis CANCRI revertente,
Pacem cum Concordia,
Et longiſſimos FELICITATIS dies revehi
A Phoſphoro intelligit, hàc Epigraphe:
reDItqVe ConCorDI graDV.
Senec: in Agamemn: Act: 3.

EXPOSITIO.

Phoſphore, qvid CÆSAR revehit? ſic *Junius* inqvit,
Dum SOL per *Cancri* ſidera fauſta redit:
Cum *Reduci* CAROLO vehitur CONCORDIA, reddit
ConCorDIqVe reDIt (Pax rediviva) *graDV.*
Semper in Ungariam CAROLI (pro REGIS honore
Dum pariter fervet *Buda*) calebit Amor;
Dúmq; *coronatur* * *duodenô CAROLUS* annô: *1712.
Semper *Apoſtolicus*, REX *Stephanæus* erit.

Pro Julio.

JULIUS à Julio Cæſare appellatus,
Tot, cum Leone ſuo Cæleſti
(De qvo Seneca in Hercule Oetæo Act: 5.
QVI poſsIDet CæLVM Leo!)
Conſpicatus Leones in Terris,
AUGUSTISSIMO
SOLI
CAROLO

Seu addictos, ſeu ſubjectos, LEONI BOHEMIÆ
Majeſtatem Sui SOLIS exhibet, hôc Lemmate:
- - - HIs prInCIpe MaIor
InCeDIt sVbItò. *Claud: de bello Gildon:*

EXPOSITIO.

Incedit CAROLI Majeſtas *Principe Major*:
Hanc CAROLO MAGNO qvis neget eſſe parem?
CIrCVM regna VIDes? *Defenſoréſqve* Coronæ?
Servabit *totuplex* Regia Sceptra *Leo*.

Pro Auguſto.

AUGUSTUS ab Auguſto Imperatore
Nuncupatus, cum Cerere, ex Auſtriæ, aliisq; hæreditarijs Campis,
Spicas in Coronatum colligunt manipulum,
Qvem (deſuper ſpectante, & Sceptri locò Spicas gerente
CÆLESTI VIRGINE)
AUGUSTISSIMÆ PIETATI
SOLIS SUI
CAROLI VI.
Conſecrant, *Hôc Lemmate*:
VenI! neC MVnera DespICe noſtra.
Ovid: l. 13. Metamorph:

EXPOSITIO.

Fruge Coronatæ *Cereris* CVM InCanDVIt æſtas,
Lucan: l. 1. Pharſ:
REX AUGUSTE, TUAS Menſis adauget opes;
Qvâ PIETATE venis! nec *Munera deſpicis* Iſta,
Sub qvibus *Angelicus* fit *Cibus* Ipſe DEUS.

Pro Septembri.

SEPTEMBER à Septem-Viris
In Libra (ſuo Signo)
Electi

AU-

AUGUSTISSIMI
S O L I S
CAROLI VI.
Juſtitiam divulgaturus Orbi,
Ab Æqvatore ASTRÆAM *devocat,*
Cujus hæc pro Æqviſſimo
CÆSARE, & REGE
Stat Sententia:
sCanDat sVbLIMe trIbVnaL.
Claud. l. 2. in Rufin.

EXPOSITIO.

Sic Astræa jubet: sCanDat sVbLIMe trIbVnaL,
Qvi *Pietate* reget, *Juſtitiáqve* Thronum:
Dando *cuiqve ſuum*, terris noctésqve, diésqve
Æqvales CAROLI conſtruet *Æqva* THEMIS.

Pro Octobri.

OCTOBER, cum POMONA,
Imperij, & Regnorum Poma,
Maturásqve Laurorum baccas
AUGUSTISSIMO
S O L I
CAROLO VI.
Gratulatur; & Felicitatis incrementa,
Cum Laureata GLORIOSI NOMINIS Perennitate
Præſagit; Hâc Epigraphe:
sVCCeDent regI poMa aVrea, & Ingens
noMen, VICtorIsqVe DeCor.
Claud. l. 2. de laud. Stil.

EXPOSITIO.

CAROLE, Cui NATO * Natalem *primus* agebam,
Die 1. Octob: 1685.
* ELECTO *Laurum*, *Pomáqve* Pulchra tuli;
** 12. Octob: 1711.*
Pluria Vaticinamur adhuc: *Noménqve* perenne,
Victorísqve Decus ſæcula cuncta canent.

Pro Novembri.

NOVEMBER in Suo
Arcitenente
AUGUSTISSIMUM
SOLEM
CAROLUM VI.
Obſervans,
Ejusdem miram in CORDA Vim cum Comitate expreſſurus,
Radijs circumſcripſit Epigraphen:

VnÀ oCVLos, & TeLa tetenDIt AMorIs.

Alludendo ad illud Virg: Æneid: 5. Pariterqve oculos, telúmqve tetendit.

EXPOSITIO.

Litera *Prima* facit CAROLINI NOMINIS *Arcum*:
AUSTRIACO SOLI *Tela* miniſtrat *Amor*;
Mirus es ARCITENENS: Dū *Tela* remittis ab *Arcu*,
Qvod *ſignant Oculi*, tangis *Amoris acu*.
Et qvia SOL nunqvam *Medium* Virtutis aberras,
Comis, Regnorum, CAROLE, *Corda* feris.

Pro Decembri.

DECEMBER Amalthææ Capram
Detractô Cornu videns gaudiô exſilire ex præſentia

AU-

AUGUSTISSIMI
SOLIS
CAROLI VI.

Ab Eadem novum Cornu COPIÆ præcidendum,
Hæreditarijs Regnis, & Provincijs ominatur,
Hâc Epigraphe:

raCItVM Cor gaVDIa tentant.

Alludendo ad illud Virg: 1. Æneid: Tacitum pertentant omnia pectus.

EXPOSITIO.

Jam *Capra* deperdit *Cornu*, qvod COPIA plenum
Omnigenô capiet munere, dante Jove:
Imò dabit CAROLUS: populos ſic gaudia paſcent,
Dum, VIRTUTE PATRUM, vult Patriæ eſſe Pater.

Idqve confirmant
Geminæ Cabalæ:

Eja! *CAMPI* *Tui* *replebuntur* *Ubertate!* Pſ. 64.
15. 103. 309. 792. 493. Summa 1712.
Et *Abundantia* *in* *TURRIBUS* *Tuis!* Pſ. 121.
105. 198. 49. 761. 599. Summa 1712.

Deniqve Prognoſticon
Ex Nomine CAROLI IV. & VI.
Pro Regno Bohemiæ:

Dum CAROLO IV. ſuccedit, Czechia, VI.
Qvarto. Sexto.
Fauſtum Omen IVVI! computus iſte ſonat;
Ergò *Joves* Patriæ CAROLOS, *Patrésqve juvantes*
Auſpiciô Numerus nobiliore probat.
GranDe oMen regno fers ALter CaroLe: IVVI!
AD CaroLI hos nVMeros fors bene faVſta faLIt!

Ttt *Chro-*

Chronoſticha
Pro Auſtria.

AVſtrIaDVM generat CLaros tot GLorIa REGES,*
ARCHIDVCVM RegIt* HæC DIVIte ſCeptra ManV.
IMperII DeCor hInC Ingens: totIVs ab orbIs*
DVM LætIs CoLItVr* CensIbVs ILLa DoMVs.*

VOTUM
Pro Coronide
Ad
AUGUSTISSIMUM
CAROLUM
SEXTUM.
Ex Anagrammate
CAROLUS: SOL CURA.

CÆSAR, in Imperij *Cura SOL Sidera* cælo:
Et SOL *Sideribus Cura* perennis eris;
Nec minùs Heſperiæ *Cura*, SOL AUSTRIE, Turres:
Hoc AUGUSTA inibi, SOL, TUA *Cura*, rogat;
Pannoniæ, Regisqve Crucem SOL, CAROLE, *Cura*:
SOL eris una Crucis *Cura*, ſed absqve cruce;
CAROLE, SOL *Cura*! Sic TE Leo Czechicus orat:
Gratáqve, SOL, Czechici *Cura* Leonis eris;
CAROLE, SOL *Cura* Auſtriacos, TUA jugera, Campos:
SOL eris Auſtriaco, blandáqve *Cura* Solo;
Et qvod in his genitæ, Tua Turba, precantur alaudæ,
CAROLE, SOL *Cura*! noſtráqve *Cura* mane.
Creſcat & is cætus CAROLO ſub CÆSARE *Sexto*,
Qvi CAROLO *Qvintô* CÆSARE natus erat:

Qvi

Qvi PROAVIS, & AVO, qvi Duplo *Curáqve* SOLI
Semper erat: NATI, & *Cura* NEPOTIS erit;
Qvi dum *Juſtitiæ Solem* deportat in Orbes,
Vult & Fulgoris bajulus eſſe TUI;
Seû *Socij* Auſtrales, gelidásve, Aqvilonis ad axem,
Eoásve colant, Occiduásve plagas:
Ignea ubiqve cohors TE, CAROLE, SOLE calebit,
Lucebit, RADIIS irradiata TUIS;
Qvæqve TUI eſt ſtudioſa *Provincia* Nominis: *iſthanc*,
Oro! fove *Curâ*, Sólq;, Paterq; TUA!

Corollarium Epicum.
Ad
AUGUSTISSIMUM CAROLUM.

Qvæ TIBI *Tot*, *Tantas* gratatur prona *Coronas*,
Ipſa *coronari*, CAROLE, Muſa cupit:
TU *Meta*, & *Finis* TU noſter es: ergò corones
TE Solô: *Finis* namqve *Coronat Opus.*

A. M. D. G.

Errata ſic corrigenda

PARTE I.

A. 2. pag. 2. ante lin: antepenult. Ferd: III.	*leg.* I.
B. 2. pag. 2. lin. 27. Ferri,	*leg.* Ferrei.
E. 2. lin. ult. obtineris	*leg.* obniteris.
I. Strophâ 6. verſ. 3. ſernitur	*leg.* ſternitur.
I. pag. 2. lin. ult. lyra	*leg.* lyram.
I. 2. pag. 2. lin. 12. Charitate	*leg.* Claritate.
H. 2. lin. antepen. mutaris	*leg.* mutuatis.
K. lin. 7. à fine Adalbertus	*leg.* Albertus.
Ibid. Diſtich. 3. armiger	*leg.* armigera.
T 2. lin. 5. recuſer	*leg.* recuſent.
Eâd. pag. Strophâ 4. verſ. 2. Effudit,	*leg.* Effurit.
Y. pag. 2. in Cabala Phæbeô	*leg.* Phœbeô.
Z. 2. pag. 2. lin. 6. dignantis	*leg.* dignanti.
Eâd. pag. Stroph. 2. v. 3. quidam,	*leg.* quiddam.
Aa. Stroph. 7. metrô 3. gemetátque	*leg.* gemer atque
Bb. lin. 20. ortitudine,	*leg.* Fortitudine.

PARTE II.

Ff. 2. lin. 17. munere	*leg.* murmure.
Ibid. lin. 15. pro rendere	*leg.* protendere.
Mm. 2. pag. 2. lin. 5. à fine itreum	*leg.* iterum.
Oo. 2. pag. 2. lin. 8. à fine pange	*leg.* pande.
Ss. lin. 2. Portior	*leg.* Portitor.
Uu. lin. 11. à fine quot	*leg.* quod.

PARTE III.

Ccc. 2. pag. 2. lin. 20. curales	*leg.* curules.
Ggg. 2. lin. 12. Coronam	*leg.* Corona.
Pag. 2. lin. 15. Carolo	*leg.* CaroLo.
Hhh. lin. 23. Ferraria	*leg.* Ferrariæ.
Mmm. pag. 2. lin. 14. in citat. Oeneid.	*leg.* Æneid.
Mmm. 2. lin. antepen. Aſtro	*leg.* Oſtro.
Qqq. 2. pag. 2. lin. 7. IV.	*leg.* VI.
Rrr. 2. pag. 2. lin. 4. Gmeinos.	*leg.* Geminos.
Sss. lin. 13. in citat. Senêc.	*leg.* Senec.
Ibid. lin. 13. reddit	*leg.* addendum.

MAG 2023259

Digitized by Google